DE

MORIBUS PHILOSOPHORUM

DIALOGUS.

JENÆ,

Sumtibus Io. BIELCKI, Bibliop.

CIƆ IƆC XCV.

PERILLUSTRIBUS ATQUE EXCELLENTISSIMIS DOMINIS

JOHANNI FRIDERICO DE RHEZ,

SERENISSIMI ET POTENTISSIMI ELECTORIS BRANDENBURGICI CONSILIARIO STATUS INTIMO

ET

DANIELI LUDOLPHO DE DANCKELMANN,

EJUSDEM POTENTISSIMI ELECTORIS BRANDENBURGICI CONSILIARIO STATUS INTIMO ET BELLICARUM RERUM COMMISSARIO GENERALI,

ACADEMIÆ FRIDERICIANÆ CURATORIBUS SUPREMIS,

DOMINIS ET PATRONIS MEIS SUBMISSE COLENDIS

D. D. D.

J. F. B.

PERILLUSTRES DOMINI, PATRONI MAXIMI,

HAbent bonæ ingenuæque artes, nullo non tempore, ſuos ſtatores ac vindices, quorum ſolertiæ non minus ac propitio fauori, quod vitam ſpiritumque trahant, barbariemque horridam & incultam, exuere poſſint, cuncta denique ornamenta ſua & incrementa, imputant. Tum vero maxime velut ſignum ad

bene ſperandum illis tollitur, cum rebus præeſſe, gentiumque diſpenſare fata vident viros, qui animos ſapientiæ præceptis præmunitos, nec tinctos leuiter, ſed plane imbutos honeſtisſimis diſciplinis, ad publicæ rei adminiſtrationem adferunt. Hoc autem quam ſalutare omnibus ſit, nunquam æque ac noſtra ætate, patuit. Quod enim auguſtiſſimum noſtrum bonæ mentis ſacrarium, feliciſſimis auſpiciis, inter bellicos tumultus, armorumque ſtrepitus excitatum ſit, quod indies magis magisque effloreſcat, aliisque ſubinde & nouis ornamentis augeatur, id vero ejusmodi eſt, ut quantum & VOBIS, MAECENATES SUMMI, literæ

Muſæ-

Musæque debeant, nemo ignorare possit. Vestrum, PERILLUSTRES DOMINI, fauorem singularem & incredibilem, vestram beneuolentiam & fidem, indies experitur sanctissima hæcce artium liberalium sedes, quin vestra, quoties sua secum reputat fata, non potest non, sacro quodam gaudio perfusa, attonitaque, mirari & deprædicare in se merita. Non ergo quenquã ex omnibus iis, qui virtuti operantur, literarumque nobiscum sacra colunt, adeo omnis erga literas affectus expertem fore credo, ut VESTROS, pro illarum incrementis labores, curasque, quæ VOS circumstant, grauissimas utique maximasque, intelligens

ligens, non ſtatim ſe ſuaque ſtudia VOBIS conſecrare & deuouere paratus ſit. Me vero non tantum comunis Veſter erga florentiſſimum hocce doctrinæ omnis domicilium, affectus, ſed & præcipuus ille, quo me nihil ejusmodi promerentem, proſequuti hactenus eſtis, ut idem factitem, aut ſi quid aliud ad animum gratum deuotumque teſtandum, ad ſignificandam obſeruantiam, excogitauit unquam pietas, prompte ſubeam, adducit atque impellit. Poſitum in more eſt hominibus umbraticam vitam ſectantibus, interque tacitos Muſarum receſſus deliteſcentibus, cum alia ratio, magna, quibus ornantur, beneficia penſandi, illis

non

non ſuppetit, monumento quodam in omnẽ poſteritatem famã memoriamque bene de ſe meritorum prolaturo, quæ contraxerunt, expungere nomina. Hunc morem & ego jampridẽ coluiſſem, niſi meæ mihi probe conſcius tenuitatis, nihil temere a me proficiſci poſſe, quod caliginem noctemque, fœtibus infeliciſſimis mediocrium ingeniorum, imminentẽ, effugere poſſit, crediſiſſem. Sed ingrati tamen animi crimen omni tempore adeo fœdum mihi viſum fuit, ut jubente hoc inſuper pietate, admonentibus & concitantibus aliorum exemplis, id tandem exequi mecum decernerem, quod jam pridem mearum fuerat partium, ſatius eſ-

ſe ducens, leue, quam nullum meæ erga VOS obſeruantiæ, documentum extare. VESTRIS ergò NOMINIBUS INCLUTIS SPLENDIDISSIMISQUE, huncce Dialogum, nullo quidem doctrinæ apparatu, nulla elegantia, conſpicuum, ſubmiſſi tamen cultus, quo VOS veneror, perennem teſtem, VOBIS ſacrum deuotumque eſſe jubeo. Valete SUMMI VIRI & feliciter agite. Halæ Magdeburgicæ, Kalend: Octobr. cIↄ Iↄc XCV.

Q. D. B. V.

VIx natale ſalutaue-rat ſolum Florinus, ex Italia domum re-dux, cum ſtatim ad me adiret, mearum rerum con-ditionem exploraturus, tum & expoſiturus de iis, quæ nobiliſ-ſimam Europæ partem pera-grando, acceperat. Ingenti e-nim me teneri deſiderio, erudi-torum hominum, quibus & ex-teræ ornantur nationes, fata, la-bores, molimina, cognoſcendi, jampridem intellexerat. Poſt mutuos amplexus, variasque a-moris ſignificationes, quæ fre-quentius in primo congreſſu, cum illos, quibuscum neceſſitu-

dines nobis intercedunt, a propitiis fatis patriæ redditos, coram intuemur, edi ſolent, conſiderere juſſus, quæ primum in memoriam incurrebant, referebat. Avidis excipiebam auribus, ut pronæ admodum ſunt ad res nouas mentes mortalium, quæ de ſtatu Italiæ, de ſplendore urbium, de incolarum moribus, diſerte narrabat, mox confirmans, quæ & alii tradiderunt, aut literarum monumentis reliquerunt conſignata, mox refellens arguensque, quæ perperam ab aliis prodita ſunt & aſſerta. Hinc virorum literarum gloria inclutorum injecit mentionem. De Noriſio cumprimis, Magliabecchio, Ciampino, aliisque, quorum per omnium ora fama volitat, quosve ceu doctrinæ elegantioris & reconditæ ſummos Antiſtites, & Ita-

Italia, & orbis eruditus uniuerſus, quacunque patet, ſuſpicit & veneratur, multus ſermo fuit. Nec temperare mihi poteram, quo minus de Romano Pontifice, de purpuratis quibus ſtipatur, Patribus, ceteriſque viris, munere & natalibus illuſtribus, quibus Roma ſedem præbet, præſertim vero de monumentis elegantiſſimis, doctorum virorum ope & immenſis ſumptibus e tenebris erutis, antiquitatis & Romanæ gloriæ, locupletibus teſtibus, multa exquirerem & percontarer. Sed rumpebat hoſce ſermones aduentus Seueri, mihi pariter ac Florino, amiciſſimi viri. Hic ſalute data inuicem redditaque, verbis quam humaniſſimis Florino gratulabatur, quod ſuperatis tot periculis, quibuſcum confligtandum eſt illis,

qui animum oculosque curiosos per exteras regiones & urbes circumferunt, tot laboribus exantlatis, saluus incolumisque, ad patrios lares suosque rediisset penates. Florinus, postquam pari humanitate gratias egerat, in hæc erupit verba Seuerus: Multos quidem, mi Florine, insigni cupiditate te visendi, tecumque colloquendi, flagrare, nullus dubito. Erunt, qui publicarum rerum statum, qui Principum mores, a te edoceri cupient. Erunt, qui te indice, virorum literis & eruditione præstantium, cognoscere nomina, satagent. Quibusdam etiam volupe erit, quæ est nostrorum hominum peruersitas, ex te sciscitari, excogitauerintne Itali nouum voluptatum genus, ut habeant, quod imitentur Germani. Ego quidem, si

vel

vel maxime vanis ejusmodi & ludicris delectarer rebus, religioni mihi tamen ducerem, talia a te exquirere, cum mores tui integri profecto & honesti, jampridem mihi innotuerint. Hinc & ea saltem te curasse arbitror, quæ usui esse possunt in vita humana, & in utraque fortuna præsidio, aut delectationem honestam, quæ sola ex literis capitur, afferunt. Si tamen fas est, ut & ego de quibusdam quæ scire aveo, a te certior reddar, ut, quænam religionis hodie in Italia sit facies, aut etiam si quid super capitibus quibusdam cœlestis doctrinæ ibi disputatum sit, exponas, etiam atque etiam rogo. Tum vero Florinus, nihil unquam solennius mihi fuit, inquiebat, quam ut haud perfunctorie in exterorum de Numine rebusque sacris sen-

ſum inquirerem. Sed de Italis, quid dicere poſſum, mi Seuere, quod non jampridem cognitum tibi fuerit & exploratum? Ore quidem omnes eam profitentur doctrinam, quam Romanus Pontifex illis præſcripſit. Qui enim Molinoſi ſtudent partibus, pauci admodum ſunt, & ſupplicìorum metu hinc inde deliteſcunt. Nullas autem, aut non admodum diuturnas de cœleſtis doctrinæ capitibus in Italia eſſe lites, quid mirum? Si quis enim talia proferat, quæ non proferri Romani Præſulis intereſt, intereſt autem ejus omnes ejusmodi contentiones procul faceſſere, hic ſuo exemplo mox docebit alios, ne impune tale quid patrari poſſe, ſibi perſuadeant. Sed vero & utinam Itali ad diſciplinæ ſuæ præſcriptum, ſuos componerent

rent mores! & aliquam saltem cœtus Christo Seruatori consecrati, speciem, apud eos deprehendere liceret. Nunc vero erupit in æuum omne nefas, vitiis sceleribusque nec finis nec modus ponitur. Jurares profecto, plerosque nullo unquam Numinis sensu imbutos fuisse, adeo improbus furor omnes vexat. Sane quoties hæc mecum perpendi, perpendi autem sæpius, toties patriæ nostræ deprædicaui felicitatem, quippe quæ non tantum purioris doctrinæ luce, est collustrata, sed in qua moribus quoque utut non undiquaque innocentissimis, integerrimisque, honestioribus tamen sanioribusque, quam in Italia vivitur. Utique ita est, regerebat Seuerus, præsto nobis sunt diuini fauoris argumen-

ta uberrima, si expendamus nobiscum miseram illorum sortem, qui in regnis prouinciisque, quibus Romanæ superstitionis densissima incumbit caligo, degunt. Sed in eo quidem decipi te arbitror, quod pace tua dixerim, quod mores nostros meliores sanctioresque Italorum moribus esse, putas. Profligati adeo sunt & perditi, ut an pejores esse possint, dubitem. Periit jus, integritas, fides, & qui semel dimissus, nunquam redit in gratiam pudor. Nullum scelus exemplo caret: nec vacat cuiquam vetus odisse crimen, cum quotidie oriatur nouum. Immedicabile vero istud malum merito dixeris, qvod cum quotidie vocibus saluberrimis virorum cordatiorum, ad virtutem & probitatem nos exhortantium, sacratæ

Numini personent ædes, vix tamen unus & alter reperiatur, qui exuere pravos mores, disciplinæque sanctiori se submittere velit. Non istud quidem adeo abnuo, reponebat Florinus, quandoquidem Iliados intra muros peccari & extra, ipsa nos doceat experientia. Vix tamen fieri posse crediderim, ut omni adeo probitati & pudori nuntium mittant nostri homines, cum, qui ad rectiora illos ducant suis adhortationibus, nunquam desint. Non sane desunt, inquiebat, Severus: sed hi ipsi qui hominum emendant mores, qui corrigunt, qui improbos suis increpationibus ad saniorem mentem reuocare allaborant, hi ipsi, inquam, dum suos ad eam legem prius componere renuunt mores, ad quam aliorum vitam exigunt,

ecquid mirum quod nihil proficiant, quod in cassum laborent? Utique & nostram ætatem multos ferre, qui, ut Saluiani verbis dicam, religionem vestibus simulant, qui fidem cingulo adferunt, qui sanctitatem pallio mentiuntur, interim vitam in lustris atque popinis agunt, neminem fugit. Jam vero ea est mortalium indoles, ut rideant, si ad bonam frugem melioremque vitam, se excitari videant ab eo, qui sua nondum vitia exuit depofuitque. Quis non crederet perpetuam histrioniam exercere ejusmodi homines, qui inducere alios volunt, ut quid faciant, quod facere ipsi recusant. Hinc, si dicendum quod res est, omnis malorum cohors, quæ mortalibus incumbit, prouenit. Hæc & alia indignabundus conque-

re-

rebatur Seuerus. Tum vero & ego, ſilentium rumpens: & cauſis grauiſſimis Te adduci mi Seuere ad querulas ejuſmodi voces fundendas, & omnis mali fontem recte te aperuiſſe, haudquaquam inficior. Putaſne autem inſolens quid illud eſſe aut inuſitatum, ut leges, quas præſcribunt aliis, omnium primum migrent ipſi qui tulerunt? Quis præclarius de juſtitia præcipit, quam periti juris? quis accuratius hæc definire nouit? aut magis diſerte explicare, quam ſibi plane non conſulant, qui æquitatem juſtitiamque habent inſuper? aſt, quotusquisque eſt, qui non divinas humanasque conculcet pedibus leges, quoties aut ambitio, aut præſens lucri ſpes, aut turpis hoc jubeat voluptas? De Medicis nihil adderem, niſi jam

in triuiis nota res eſſet , nullos homines tuendæ valetudinis rationem habere minus, quam hoſce Æſculapii filios. Ne vero in Philoſophos mitiorem me laturum ſententiam putetis, pleroſque horum, mortalium omnium mendaciſſimos eſſe, aſſerere non dubito. Scholas & Muſarum ſanctiores ſedes mecum perluſtrate, & rem ita ut dixi, ſeſe habere, deprehendetis. Ecquis enim Philoſophorum eſt, qui de Ethicæ diſciplinæ indole dum exponit, non accurate admodum demonſtret, practicæ philoſophiæ hanc eſſe haud ignobilem partem, adeoque non bene munere ſuo hic fungi, qui doctrinam morum mente memoriaque fuerit complexus: plus requiri: opere ipſo demonſtrandum eſſe, quantum quisque in

hac

hac arte profecerit. Sique nulla alia ad hoc probandum ſuppetat ratio, mox ad Ariſtotelem prouocant, mox Platonem in ſubſidium vocant, aut in Stoicorum porticum auditores deducunt. Quin ſi quis ſecus ſentiat, hunc ad crucem atque triremes damnant. Hæc omnia ubi egregie admodum ediſſeruere, nemo eſt, qui auditoribus præeat exemplum, qui ſuis moribus comprobet atque euincat, honeſtati unice atque virtuti, eſſe litandum. Non felicius res geritur, cum ad partes ſingulas deſcendunt. Etenim de ſummo, ut vocant, bono, quoties ſermo inſtituitur, quam magnifice ibi verba fiunt! Jurares iſtos homines jam corporis vinculis exolutos; inter cœleſtes verſari genios, quos re-

rum,

rum, quæ mortales delectant, nulla unquam tangit cura. Adeo præclare, non in voluptate, non in honoribus, non in diuitiis, sed unica virtute illud quærendum esse, evincunt. Et sane præclare sentirent, si re ipsa comprobarent, hanc animo suo sedere sententiam. Sed hic videas eos ipsos, qui tam strenue honores omnes ut instabiles, ut caducas vanasque res, & fortunæ volubilis cito transitura munera depinxere, mox ad adulationem plus quam seruilem descendere, aut per Principum aulas, per Procerum discurrere ædes, si vel minima illis affulgeat spes, majores ampliores que honorum & dignitatum titulos consequendi. Alios contra diuitias tam strenue declamare audias, ut crederes, istos vel Crœsi opes pro-

projecturos prius esse, quam vel latum a virtutis tramite dimoveri possint, unguem: audias sine fine & ingenti clamore ingeminari illud Venusini Vatis: *Non possidentem multa vocaueris recte beatum: rectius occupat nomen beati, qui Deorum muneribus sapienter uti, duramque callet pauperiem pati, pejusque letho flagitium timet*: vel illud Plauti: *odi ego aurum: multa multis suasit perperam.* Hisce autem aliisque egregiis vocibus postquam auditorum compleuit aures sapientiæ consultus, ipse corradendis congerendisque opibus, nec finem nec modũ statuit: quin *nullo fine beatus, componit opes, gazis inhians, & congesto pauper in auro.* De voluptate autem quid dicam? quis enim

enim Philoſophorum hanc non execratur? quis non damnat? quis non equis velisque eam fugiendam eſſe monet ſedulo atque inculcat? Num quæſo ullum audiuiſtis qui laudauit voluptatem? Quam non Epicurus, aut potius diſcipuli ejus vapulant, quod voluptatem pro ſummo ultimoque mortalium bono venditaverint. Monſtra hominum, non homines, hosce fuiſſe palam dicunt, in quos ſi Hercules incidiſſet, decimum tertium ſibi obveniſſe laborem exiſtimaſſet. Illos enim, proh nefas! in bruta commutare homines, ſaltem in eandem cum brutis detrudere ſortem. Egregie & hæc & alia diſputant. Diſputationi ubi impoſitus eſt finis, hunc ipſum, qui voluptati omni bellum indixiſſe, eamque odio inexpiabili &

plus-

plusquam Vatiniano prosequi videbatur, hunc inquam ipsum indulgere genio strenue, & omnia voluptatum, quantumvis turpium, consectari genera videas. Hunc *dira subit libido, non placent suetæ dapes, non tecta sani moris, aut vilis cibus.* Eadem agitur fabula, cum coërcere animi perturbationes, easdemque aut evellere, aut si Stoicorum displicet tristior sententia, temperare rite juuenes docent. Repellendum, inquiunt, in primo limine hostem esse. Quisquis in primo obstitit, hunc tutum atque victorem fuisse. Qui blandiendo dulce nutrit malum, eum sero deinceps recusare ferre, quod subiit, jugum. Addunt, quam cum natura & dignitate hominis pugnet, obsequi affectibus: quam multos dederint præcipites, qui im-

imponere illis frenum non didicerunt. Et dum ita acute de perturbationum animi indole disputant, & medelã huic malo afferre docent, haud raro cum Medicis illis componendi sunt, qui ægrotis dum assident, leuantque clementer brachium, tangunt venam, manum pectori admouent, & frontis orisque inspiciunt habitum, quam aut fastidiat aut appetat stomachus, diligenter exquirunt, interim de suis, quibus laborant ipsi, longe grauioribus forte morbis, per supinam & intolerandam ignauiam aut incuriam, parum sunt solliciti. Sed piget plura addere. Quorsum enim nihil profuturæ funduntur querelæ! Adeo enim frequens est istud malum, ut ne illa quidem ciuilis doctrinæ pars, quæ decoros hominum mores reddere niti-

titur, illius ſit immunis. Pleroſque enim qui ad omnem elegantiam & cultum ſe fingere homines profitentur, adeo agreſtes & omnis ruris plenos eſſe, videmus, ut ipſis quos docere aggrediuntur, juvenibus, ludibrio ſint atque contemptui. Sic omni tempore inuenti ſunt, & noſtra quoque inueniuntur ætate, quibus accini poſſit illud quod apud Plutarchum legitur: *Tu nō ceſſas Craſſi inſtar diues, viuens ut Lucullus, Catoniano more diſſerere.* Hic finem dicendi feceram, cum Florinus ſubridens, te quidem, inquiebat, tanta libertate de Philoſophorum diſſerere moribus miror. Saltem parum hactenus te expendiſſe credo, quanti pluribus conſtiterit irritaſſe Philoſophos. Litigioſum, crede mihi, eſt hominum genus,

gens

gens philoſophica: & cum alios perlibenter reprehendant, ſe tamen reprehendi quam ægerrime ferunt. Fateor tamen, ita ut dixiſti ſe rem habere, & ubique gentium uberrimam ſegetem ejusmodi Philoſophorum effloreſcere, quos Seneca Cathedrarios vocauit, quia verbis ſaltem atque in cathedra philoſophantur. Nec quicquam quod a veritate abhorreat, dixiſti, hoc dum attuliſti exemplum, inde euicturus, mirum non eſſe, ſi & inter illos, qui ſplendido aut Chriſtianorum aut Theologorum titulo ſuperbiunt, quosdam deprehendere liceat, quorum cum effatis parum conſpirant conſentiuntque mores. Namque & ipſum Athenagoram, ſtrenuum illum fortiſſimumque cœleſtis doctrinæ propugnatorem, jampridem

dem idem factitasse memini. *Nemo*, inquit, *Christianus malus est, nisi professionem simulet. Hoc modo & illos, qui a Philosophia nomen habent, judicari cernimus*: aut si græca mavis, abhorrere enim te ab illorum moribus scio, quibus nescire Græca, in laude ponitur: *ὐδεὶς γὰρ χριστιανὸς πονηρὸς, εἰ μὴ ὑποκρίνεται τὸν λόγον· ὕτω καὶ τὺς ἀπὸ Φιλοσοφίας κρινομένυς ὁρῶμεν.* Euincere quippe volebat, perperam ad supplicia rapi homines ideo quod Christiani appellitentur: ex ratione enim disciplinæ, cui addicti sunt, omnes Christianos probos esse: ast sæpius tamen contingere, ut quidam nominetenus saltem sint Christiani, æque ac Philosophorum titulo multi superbiant, qui, si ex vita & moribus eos metiaris, nihil minus

nus

nus sunt quam Philosophi. Opportune illud mones, mi Florine, subjiciebat Severus. Namque hinc intelligere licet, non hodie demum aut nudius tertius ortos esse ejusmodi homines, qui se philosophos mentiuntur. Jam & olim ista pestis orbi incubuit. Luciani hac de re documentum in mentem mihi venit, egregium profecto, sed cum Græca verba memoria exciderint, Latinis illud referam. Est genus hominum, inquit, quod non ita pridem in vita extare cœpit, iners, contentiosum, gloriæ avidum, iracundum, gulosum, stultum, fastuosum, contumeliosum, & ut Homeri verbis dicam, telluris inutile pondus. Isti igitur in sectas diuisi, ac variis rationum labyrinthis excogitatis, alii sese Stoicos appellant, alii Academicos,

cos, alii Epicureos, alii Peripateticos, aliisque vocabulis his multo magis ridiculis. Deinde, ita pergit, cum illud virtutis nomen venerandum induerint, tum adductis in altum superciliis, promissaque barba, fucato habitu obambulant, detestandos mores circumferentes, simillimi istis tragœdiarnm actoribus, quibus si personas stolamque illam auro sparsam detraxeris, reliquum est ridiculum, nempe homunculus septẽ denariis ad agonem conductus. Apprime istud ad meam quoque sententiam facit, reponebat Florinus. Namque omni tempore fuisse ejusmodi homines qui vana philosophiæ specie & sibi & aliis imposuerunt, id quidem est, quod sæpius intellexi, sæpius dolui. Sed tamen & propitiis fatis contigit, ut

nun-

nunquam deessent cordati viri, qui sapientiæ & virtuti, ita ut par erat, operarentur ignauiamque istorum hominum, serio execrarentur, acriterque reprehenderent. Pacuuii circumfertur versus, quem Macedo Philosophus, vir bonus & sapiens, scribi debere censebat, præ foribus omnium templorum: *Ego odi homines ignava opera, philosopha sententia.* Existimauit quippe, Gellio teste, nihil fieri posse indignius, neque intolerantius, quam quod homines ignaui & desides, operti barba & pallio, mores & emolumenta philosophiæ in linguæ verborumque artes conuerterent, & vitia facundissime accusarent, intercutibus ipsi vitiis madentes. Socrates quoque ipse ignauis ejusmodi hominibus perpetuum velut

velut indixit bellum, & Epictetus cumprimis, summus gravissimusque vir, acriter subinde eos redarguit. Ex Favorino se accepisse Gellius testatur, Epictetum dixisse, plerosque istos qui philosophari videntur, philosophos esse hujuscemodi, ἄνευ τȣ̃ πϱάττειν μέχϱι τȣ̃ λέγειν, factis procul, verbis tenus. Jam illud vehementius utique est, quod Arrianus eum dictitare solitum, memoriæ prodidit. Nam cum animaduerteret hominem pudore amisso, importuna industria, corruptis moribus audacem, confidentem lingva, ceteraque omnia præterquam animum procurantem, istiusmodi, inquit hominem, cum videret studia quoque & disciplinas philosophiæ contrectare, & physica adire, & meditari dialectica,

multaque id genus theoremata, ſcrutari ſciſcitarique, inclamabat Deum atque hominum fidem, ac plerumque inter clamandum his eum verbis increpabat: ἄνθρωπε ποῦ βάλλεις; σκέψαι εἰ κεκάθαρται τὸ ἀγγεῖον, ἂν γὰρ τὴν οἴησιν αὐτὰ, βάλλῃς, ἀπώλετο· ἢν σαπῇ, ἢ οὖρον, ἢ ὄξος γένοιτο ἂν, ἤ τι τούτων χεῖρον. Hiſce quippe iñuebat maximus philoſophorum, ut Gellius autumat, literas atque doctrinam philoſophiæ, cum in hominem improbum influxiſſent verti, mutari, corrumpi, & quod ipſe κυνικώτερον, urinam fieri, aut ſi quid eſt ſpurcius. Dies mihi prius deficeret, quam dicendi copia, ſi convehere omnia vellem, quæ in hanc ſententiam egregie dicta ſunt a cordatioribus. Antonini tamen non poſſum non meminiſſe, ſummi quidem & in-

com-

comparabilis viri, qui hisce hominibus tam vehementer irascitur, ut eos etiam Φύματα καὶ ἀποστήματα vocet. Adeo nunquam prævaluit istud hominum genus, ut nunquam deessent, qui intrepidum illis opponerent pectus, suoque contra exemplo viam, ad virtutem contendentibus, munirent. Hæc Florinus disserebat, plura forte adjecturus, nisi & me quædam allaturum in medium, animadvertisset. Postquam ergo conticuit, quandoquidem, inquiebam, in hunc ingressi estis sermonem, nec molestum vobis esse credam eundem longius protrahi, non ægre, puto, feretis si & quid mihi videatur, exposuero. Rem gratissimam nobis facies, inquiebat Severus, nec a munere tuo alienam. Sed paucis, reponebam, quid sentiam, di-

cam: philoſophandum enim eſ-
ſe, ſed paucis, Neoptolemus di-
xit. Non diſplicuit mihi, fateor
mi Seuere, quæ ediſſeruiſti, &
antiquiora ſecula ejusmodi tu-
liſſe homines, qui ut Taciti ver-
bis utar, ſemper damnantur, ſem-
per retinentur. Nec abnuo, nul-
lo non fuiſſe tempore, qui illis
obuiam irent, ut tu, Florine, com-
probaſti. Sed quid? ſi dicerem
hoſce ipſos, qui ceteros adeo exe-
crati ſunt, & tam acriter ſunt in-
ſectati omnium fuiſſe peſſimos?
Id quidem, inquiebat Florinus,
quo pacto fieri poſſit, non intelli-
go. Neque enim credo te in du-
bium vocaturum, quæ unanimi
conſenſu a viris fide dignis tra-
dita ſunt: multo minus te vanis
ſuſpicionibus eo usque abre-
ptum iri mihi perſvadeo, ut de
ſinceritate ac integritate optimo-

rum

rum virorum ambigere sustineas. Sed efficiam tamen, mi Florine, regerebam, ut intelligas, quin ut & istud intelligas, grauissimis me ut ita statuam, adduci rationibus. Putasne vero me dixisse aliquid, si ipsum Socratem, quem sapientissimum mortalium vocare solent, non ultimum inter hosce philosophos, qui sunt *ἄνευ τοῦ πράττειν μέχρι τοῦ λέγειν*, occupare locum, probaverim? Socratem, respondebat Florinus, si in hunc referendum esse numerum euiceris, victas dabo manus. Neminem enim Socratem unquam virtute superasse semper audivi, adeo ut nonnullis, ad beatorum sedes animam ejus evolasse, persuasum sit. Non Socratem modo, reponebam, sed Senecam, sed præstantissimos Stoicorum, & ceterarum

hæresium philosophos, qui quam maxime se veros philosopho esse gloriati sunt, huc referre nullus dubito. At tamen meminisse te decebat, subjiciebat Seuerus, ipsius oraculi judicio sententiaque, Socratem sapientissimum fuisse mortalium. Memini, mi Seuere, inquiebam, se hoc ipsum ut de sapientia ejus & virtutibus, quæ tot laudibus in cœlum evehuntur, dubitarem me adduxit. Taceo quæ Athenæus hac de re disserit, vir non contemnendæ eruditionis, qu commentis annumerat, quicquid de hoc oraculi effato dicitur. Cum enim Socratem mortalium sapientissimum fuisse, diserte neget, eum ab impietate prope ab esse, pronuntiat, qui Deum, quem per oracula mortalibus respons dare credebant gentiles, tam tur

pi

piter decipi potuisse asserere non dubitet, ut hominem non adeo sapientem, pro sapientissimo reputauerit. Alia mihi præsto est ratio, ut Ethnicorum mihi non sit in subsidium vocanda superstitio. Quicquid enim de oraculis suis dicat superstitiosa gentilitas, ego ita arbitror, infernalis genii in istis personuisse voces, ejusque fraudibus latissimum hic patuisse campum, quibus in omnes circumageret partes miseros mortales. Ergone Dæmoni malo, impostori turpissimo, mendaciorum fidelissimo Doctori, de sapientia Socratis testimonium perhibenti, adhibebimus fidem? Sed video quid dicturi sitis, reipsa tamen hoc fuisse comprobatum, cum nihil se scire Socrates sit professus, quo potissimum argumento mortalibus persuadere

oraculum voluit, ſapientiæ laude Socratem cedere nemini. Sed quæſo vos, quis non ſtatim fraudem & impoſturam ſubolfaceret? Sane qui ſecus ſentit, hunc obeſæ naris hominem eſſe oportet. Rem ſic conficio: aut ſciuit aliquid Socrates, aut nihil ſciuit. Si nihil ſciuit, quis mortalium ſapientisſimum diceret? ſi ſcivit, cur negauit? Credo, quod modeſtia hujus viri tanta fuerit, ut ne videri quidem talis voluerit, qualis fuit. Scilicet. Quin ſi ullum unquam hominem ambitio & inanis vexauit gloria, Socratem vexauit. Hoc, ſi vobis videbitur, deinceps euincam. Nunc iſtud vobiſcum expendatis velim, egeatne modeſtia mendacii præſidio? aut, ſitne occultanda veritas, ut videar modeſtus & honorum omnium contemptor,

ſe prodat animus? Ego ita arbitror, hunc demum modeſtiæ promereri laudem, qui & intelligit, nec diſſimulat ſuam qua ceteris præſtat virtutem, ſed eadem non ſeſe effert, aut alius quam eſt, videri non cupit. Qui vero & eas, quas jure meritoque occupare poterat, laudes, reſpuit, inde ut modeſtus videatur, hunc ego tantum abeſt ut modeſti hominis promereri titulum putem, ut potius ambitioſum, disſimulatorem, turpisſimumque impoſtorem vocare nullus dubitem. Et de Socrate quidem ut illud aſſerere audeam, cum multæ aliæ mihi præſto ſunt rationes, tum & illud adducit, quod jam olim ſuperbiam illi exprobratam, legam. Audite Ariſtophanem, qui faſtum Socratis adeo non potuiſſe occultari memoriæ prodidit, ut

vultu ipſo atque inceſſu ſe proderet: βρενθύη τ' ἐν ταῖς ὁδοῖς κα[illegible] τὼ ὀφθαλμὼ παραβάλλεις - - - καὶ ἐν ἡμῖν σεμνοπροσωπεῖς. Plura prolaturum, tacere jubebat hæc ſubnectens Severus: Poëtas multa mentiri noſti. Sed ſæpius, reſpondebam, Poëtas dixiſſe vera conſtat. Quicquid hujus ſit, regerebat Seuerus, rationibus magis quam Ariſtophanis, hominis Socrati infenſi, auctoritate moueor. Et licet non omnino nihil dixiſſe videaris, tanti tamen, quæ attuliſti non ſunt, ut a mea me dimoveant ſententia. Nec deſipuiſſe illos eruditos utique viros, tum veteres tum recentiores, arbitror, qui Socratem demum illum philoſophum eſſe contenderunt, in cujus exemplũ intueri omnes oporteat, qui vel ultimum in hoc ordine tene-

re locum cupiunt. Et ad modestiam quidem ejus, quam tu impugnasti, quod attinet, longe aliter doctissimos quosque viros, cumprimis Ælianum, Xenophontem, atque Theodoretum, sentire video. Dionem quoque Chrysostomum & alios, ad hæc inquiebam, addere potuisses. Ita enim est, mi Seuere, sunt præclari doctissimique viri, qui magnifice admodum de Socrate sentiunt. Sunt, fateor, qui laudibus eum eousque in cœlum evehunt, ut mortalium eum superasse sortem, crederes. Sed tu quidem, hosce homines decipi non potuisse, credis? Ast video præjudicata opinione obseptum te gerere pectus. Nulla itaque auctoritas ut te in transvorsum agat, prius efficiam, quam rationibus firmissimis id adstruam,

quod probandum in me ſuſcepi. Putasne autem neminem unquã virtutes Socratis vocaſſe in dubium? Falleris, mi Seuere, quod pace tua dixerim. Zeno ipſe jam hoc fecit Stoicorum omnium parens, qui illum Scurram Atticum, Cicerone teſte, vocauit. Fecit & Athenæus, eum pro ſapientiſsimo haberi poſſe diſerte negans, & vitia Socratis ſubinde acriter perſtringens. Fecit & Lactantius, qui unus omnium inſtar tibi eſſe poterit. Tanti ergo tamque præclari viri, cum eandem quam nunc ingredior, viam, jam ſuis ſignarint veſtigiis, exues, puto, horum autoritate commotus, quæ mentem tuam occuparunt, præjudicia. Sed facilius, credo, meæ ſuffragaberis ſententiæ, ſi cauſas rationesque intellexeris, qui factum, ut ſubinde

elo-

elogiis ornetur aut oneretur Socrates, ut teſte Seneca, vix famam ſuam recipiat. Rem altius & ex primo, quod ajunt fonte, repetam. Fuit Socrates vir excellenti ingenio, & facundia ſumma. Certe Diogenes Laërtius ingenium ejus diſerte laudat. Euſebius ipſius Ariſtotelis auctoritate comprobat, eum natura fuiſſe ingenioſisſimum. A quo nec Cicero diſſentit: adeo ut mirari ſatis nequeam ſtupiditatem Zopyri iſtius, qui eum ſtupidum & bardum fuiſſe ex frontis aſpectu collegit, hoc ipſo aut ſuam imperitiam, aut artis, qvam profitebatur, vanitatem demonſtrans. Sed nec ipſius Socratis ſatis mirari calliditatem poſſum, qui Zopyri probauit ſententiam, ſaltem ut auditoribus ſuis perſuaderet, quanti ſibi

iiii con-

constiterit, ad illam, quam omnes mirabantur, sapientiam peruenisse. Enimuero cum omnes quidem laudem mereantur, qui animum doctrina bonisque literis excultum & perpolitum habent, siue naturæ bonitas, siue industria plus hic sibi vendicet; majorem tamen haud dubio illi promerentur gloriam, qui pertinaci studio, ipsam quoque superarunt naturam. Namque ut indole quis excellenti sit præditus, Numinis quidem arguit propitium fauorem, ipsi homini aut nullam aut exiguam conciliat gloriam, cum maximam contra afferat, ipsa naturæ vitia & errata tam fortiter tamque prospere emendasse, ut nec illis, quibus natura præsidio est, ulla ratione cedamus. Ergo ut discipulis tanto majorem

sui

ſui admirationem injiceret Socrates homo ambitioſus, ſtupidus & bardus, quin ad turpiſſima vitia propenſus atque proclivis, per naturam, ſed per ſolam ſuam induſtriam doctus & ſapiens, & omnibus virtutibus ornatus videri voluit. Tam ingratus in naturæ parentem auctoremque fuit, ut naturæ munera diſſimularit fueritque inficiatus, ſaltem ne hanc in laudis & gloriæ conſortium admittere cogeretur. Præſtanti itaque excellentique ingenio cum fuerit Socrates, quid mirum; cum de rebus cunctis prompte & accute diſſereret, eum omnium animos oculosque in ſe convertiſſe? præſertim cum & dicendi inſigni polleret facultate. Idumeneus apud Laërtium eum in oratoria promptum & acrem fuiſſe dicit;

&

& Hipponensium Præsul doctissimus, admirabilen ejus differendi leporem & acutissimam urbanitatem laudat. Cicero autem eum fuisse facetum festiuique sermonis, atque omni re simulatorem quem εἴρωνα vocant Græci, se accepisse a Græcis perhibet. Adeo ambitoni hujus hominis ipsam fauisse naturam existimaveris, ut nihil illi deesse videretur, quo minus rapere omnes in sui admirationem, & fascinare velut juvenum mentes potuerit. Fingite vobis Doctorem summo ingenio, eloquentia singulari, artes ingenuas tradentem, nonne agmine quasi facto ad eum concurrunt juuenes? nonne ita capiuntur, ut hunc unum laudent, ostentent, hujus decreta obtrudere ceteris omnibus annitantur, aut si quem vident secus

cus sentientem, vel laudes magistri non decantantem, hunc ut hominem rudem, inficetum, stupidum rident. Jam vero si & lepide perstringere alios, vitiaque sale perfricare satyrico didicerit, qualem Socratem fuisse accepimus, quam non existimatio ejus viri augetur? Praua enim adeo est hominum indoles, ut hunc unice doctum, hunc sapientem putent, qui acriter & ingeniose aliorum errores aut vitia, aut quod ipse pro errore & crimine venditat, traducere didicit. Hæc quoties mecum reputo mirari prorsus desino, quod discipulis suis Numinis instar habitus sit Socrates; quodue, laudibus ejus undique disseminatis, non Græciam modo, sed orbem quoque universum fama doctrinæ & sapientiæ ejus, & compleverit olim, & ho-

die

die compleat. Profunda enim accedebat vitiorum omnium, dissimulatio, ambitionis perpetuus comes, ut nihil præcipere aliis videretur, quod non suis ipsemet comprobaret moribus. Et ita quidem contigit, ut juuenes omnes ingenio florentes Socratem sectarentur: hi postquam deinceps alios docuerunt, aut ad scribendum accesserunt, magistri sui prædicarunt sapientiam sine modo, sine fine, honorificum valde & sibi esse putantes, ab ore summi istius & sapientissimi viri pependisse. Quotquot igitur de Socrate aliquid memoriæ literarumque monumentis prodidere, aut discipuli fuere Socratis, aut a discipulis ejus hoc acceperunt: unde sane laudes hujus viri justa serie & successione, ad nostram usque æta-

ætatem sunt propagatæ. Præcipuum vero inter omnes, qui de Socratis rebus exposuere, Xenophontem fuisse constat, itidem ipsius Socratis discipulum, virum disertum quidem & eruditum, sed cui adeo insolens non erat, mores, non ut sunt, sed ut esse debent, describere. Cyropædia ejus hoc euincit, quæ Principis imaginem sistit, tam perfectam omnibusque numeris absolutam, ut, si haberent quo caderent, non tamen meliorem fingere aut formare possent, vota mortalium. Sed vero & aliis jampridem obseruatum est, Xenophontem, aut errore adductum, aut amore abreptum, falsa quandoque de Socrate tradidisse. Athenæus, quæ de militia Socratis tradidit Xenophon, inter commenta refert, idque rationibus

bus

bus haud contemnendis comprobat. Qua de re dum differit, exclamat: πάντ᾽ ἄν ψεύδονται οἱ φιλόσοφοι: *Sic omnia Philosophi mentiuntur*. Non me fugit, quid hic regerat vir summus & Criticorum fere Princeps Isaacus Casaubonus: sed rationes ejus tanti non sunt, ut me, quod Athenæi usus sim auctoritate, pœnitere queat. Vides itaque mi Setere, quod plerique Socratis admiratores aut animi affectibus agantur in transvorsum, aut aliorum abripiantur auctoritate. Nos autem in expendendis viri hujus moribus, odii omnis omnisque amoris vacuos esse decet. Nubes enim & inania prensant, qui mente cui caliginem affundunt animi perturbationes, veritatem se consecuturos sperant. Sed video utrumque vestrum

ſtrum expectare cauſas ſolidiores, quæ me ut ita de Socrate ſentiam, adduxere. Has nunc accipite. Virtutum atque vitiorum ſemper quædam eſſe confinia, intelligere vos arbitror, cum ciuilis moralisque doctrinæ neutiquã vos rudes eſſe ſciam. Hinc vero contingit ſæpius ut virtutis ſpeciem induat vitium, & ita mortalibus, accuratius rem non conſiderantibus imponat. Illis vero qui res ita ut par eſt, metiri didicerunt, obſcurum eſſe nequit, quid diſtent æra lupinis. Solent namque in ipſos actionum humanarũ fontes introſpicere quam penitiſſime, & quo animo conſilio ve quidvis agatur obſervare & detegere ſolerter. Quare ſi pectori hominis aut ambitio, aut auaritia, aut lucri cupido inſideat, hinc ut ad quæuis turpia

im-

impellatur, tantum abest ut ulla, quantumuis præclara species, illos fallere possit, ut potius sub pulchra veste latitans putidum corpus, in illorum statim incurrat oculos. Nec vero sufficit ad sapientiæ & virtutis laudem, temperanter vivere, adversa tolerare fortiter, non ulcisci injurias, semper sibi constare, non cedere voluptatis blandimentis, nullis cruciatibus a justitiæ & æquitatis tramite posse dimoveri, aut si quid præclarius est & illustrius; sed illud insuper requiritur, ut non alio consilio hæc fiant, quam ut rationis obtemperetur legibus. Si quis autem ambitione ductus aut immortalis gloriæ cupidine abreptus, summa contentione ea omnia agat, quæ honesta aut in laude posita sunt, ille quidem præter umbram

ina-

inanem virtutis, consequitur nihil, tantumque abest ut talem pro bono & sapiente viro habeam, ut a summa stultitia prope abesse credam. Si ergo Socrates temperanter vixit, voluptatibus omnibus indixit bellum, iram compescuit, animi perturbationibus imposuit frenum, justitiæ non migravit limites, adversa fortiter tulit, constantia denique & libertate dicendi & faciendi, quæ ratio jubere videbatur, omnes superavit, si inquam Socrates, præclare admodum in omnibus hisce sese gessit, saltem ideo quod intelligeret ad rationis præscriptum ita viuendum esse, talem eum fuisse judico, qualem, vos fuisse, putatis, summum utique virum, cum quo qui contendi possit, vix aliquis in ulla orbis parte repertus sit. Sin vero hæc

omnia fecit, quod ambitio & gloriæ eum ſtimularet cupido, indignas ejus actiones cenſeo, quæ ſplendido virtutum titulo ſuperbire debeant. Perit enim ſtatim illuſtre virtutis decus, quamprimum vel minimum ambitionis illi miſcetur. Socratem autem in omnibus ſuæ litaſſe ambitioni, id quidem probatu haud difficile eſſe arbitror. Sunt enim, ut omnium vitiorum, ita & ambitionis diuerſi velut gradus: illamque periculoſiſſimam merito dixeris, quæ ſub ipſo modeſtiæ latet & in ſcenam prodit habitu. Difficilius enim agnoſcitur, ſed & difficilius huic malo affertur medela. Prætetea, quo quis eſt ingenioſior, eo facilius hocce vitium tegit. Iam ex morum diſciplina non repetam, quam omnia ambitioſi

ho-

hominis ſigna, ingenium promptum, pruritus vehemens alios increpandi, ſtudium convellendi quæ ſtatuta ſunt & decreta ab aliis, & res nouas excogitandi, audacia & quædam animi fiducia ſingularis, dicendi genus lepidum & acutum, facultas excellens alios ſatyrico ſale perfricandi, ceteraque, in Socrate ſe prodant, utut inuictum & inconcuſſum mea ſententia inde capere queat robur. Hæc inquam, non repetam: aliis enim documentis affluo. Saltem illud vobiſcum reputetis velim, quod unanimi conſenſu de genio Socratis, memoriæ proditum eſt a veteribus. Non me fugit, quid viri eruditi ea de re diſputent. Sunt, qui ipſam indolem Socratis, & neſcio quam præſagiendi vim, animo ejus inſitam intelli-

gunt; ſunt qui de infernali genio capiunt; ſunt denique qui aliter opinantur. Mea id parum refert. Saltem illud velim cogitetis, ipſum Socratem ſemper de ſuo genio ita locutum eſſe, ceu de ſpiritu quodam cœlitus ſibi dato, ut in rebus dubiis ſemper ſibi præſto eſſet, quidue intermittendum eſſet edoceret, cui etiam ſemper ut Cicero inquit, ipſe paruit, nunquam impellenti, ſemper reuocanti. Id etiam diſerte teſtatur Plato, in cujus Timæo genium hunc, beneuolum Numen, appellitat: & quæ Xenophon, Apulejus, Plutarchus, Tertullianus, Ælianus, Clemens Alexandrinus, Auguſtinus, & alii, de genio Socratis diſſerunt, idem ſatis ſuperque evincunt comprobantque. Si ergo nunc meam mihi licet hac de re exponere ſententiam,

ita

ita arbitror : parum contentus fuit humana ſorte Socrates ambitionis œſtro percitus ; quare ut quandam diuinitatis ſibi conciliaret exiſtimationem, ſaltem ut ſupra ceterorum hominum ſortem poſitus videretur, talia cum genio quodam commercia fingenda fuerunt. Hinc & in eam ſimul ſectatores ſuos inducebat opinionẽ, nihil niſi præclari, & diuini ab ejusmodi homine proficiſci poſſe, qui diuino ſemper ſtipatus genio incederet. Atque hic utique & ambitionem & fraudem callidiſſimi viri patere quam luculentiſſime, cenſeo. Siue enim, per genium, eum intellexiſſe indolem ſuam, & inſitam quandam præſagiendi vim, contendatis, ſiue aſſeratis genii voce ſpiritum quendam comitem & aſſeclam perpetuum Socratis intelligi, ni-

hil tamen ad rei proficietis summam. Tum enim quærerem, quare itaque hanc indolem suam aut vim præsagiendi, vocauerit genium? Cur non potius scaphā scapham dixit? Fraus ita nimis manifesto se prodit. Sin de spiritu capiatis, rursus quærere lubet, fueritne hic genius siue Angelus bonus an malus? Malum fuisse non facile concedent ipsimet Socratis patroni & defensores: ast bonum fuisse, plane abnuo. Etenim si Deus viris diuina luce collustratis, sanctissimisque vatibus, quorum memoriam sacri celebrant annales, perpetua cum geniis cœlestibus, dum inter mortales commorati sunt, non indulsit commercia: ecquis sibi persuaderet ethnico homini, rationis lumine non adeo male quandoque utenti, interim verum

rim Deum, quem nos colimus & reueremur, plane ignoranti, tam singulare propitii fauoris munus concessurum fuisse. Valde lentis maxillis edunt, quibus istæ delitiæ sapiunt. In quamcunque igitur se quis vertat partem, & si vel ipse genius Socratis illi suppetias ferat, nulla tamen hinc se expediendi, illi patebit via. Atque ne ullum vobis supersit dubitandi argumentum, hoc saltem vobiscum reputate, non infrequens fuisse veteribus, ipsis etiam philosophis, aut ad honores Numini proprios adspirare, aut cœli & geniorum fingere commercia. Si vero insuper euoluere annales veterum & commemorare vellem, quid designaverit quandoque ambitio, quam pudenda & ridicula homines cetera sapientes, sed ambi-

tione inflati, peregerint, rem à meo instituto non alienam quidem, ast vobis molestam, & infiniti laboris susciperem. Ecquis est qui non Salmonei rideat stultitiam, quod jouis imitari tonitrua, adeoque pro ipso joue reputari voluerit? Sed philosophi multi multis eum superarunt parasangis stultitia. Heraclitus Ponticus ut post mortem quoque diuini quid in se latuisse posteris persuaderet, sub vestibus serpentes tantæ rei nuntios, collocari jussit. Empedocles in Ætnæ montis speluncam se conjiciens, dubium incertumque omnibus relinquere voluit, quæ illum excepissent fata, vel annon potius eo ipso, quod circumtulerat inter mortales, corpore, ad diuinitatis, unde venerat, rediisset sedes. Quis itaque impieta-

tis

tis aut levitatis accuſaret Alexandrum, quod Iouis Ammonii filius credi appellarique voluerit, ut tot gentes ſibi ſubjectas in obſequio & fide, eo facilius contineret? Quis argueret Romanos Patres, quod Romulum raptum ex concione populi, & in cœlum ſublatum crediderint, deinque Deum Deo natum, ut Liuius loquitur, ſaluere juſſerint, pacemque expoſcerint precibus, ut propitius ſuam ſemper ſoſpitaret progeniem? Quis, inquam, hæc reprehenderet, cum & ſapientiæ cultores & bene viuendi Magiſtri, ſacrilega impietate divinos occupare honores non dubitent. Et quid vero mirum Socratem quoque ſupra hominum ſortem ſe poſitum eſſe, videri voluiſſe? Sed videmus, eandem fabulam non ſemel fuiſſe actam.

 Plo-

Plotinum atque Porphyrium, simias Socratis qui dixerit, mea quidem opinione, haudquaquam illis fecerit injuriam. Namque & hi genios suos & nescio quem Numinis afflatum præ se ferentes, diuinitus multa se edoceri, asseuerabant, ineptam suam ambitionem hoc ipso turpissime prodentes. Credo, quod, ut Liuius de urbium primordiis dixit, miscendo humana diuinis, res suas actionesque facere augustiores hoc ipso voluerint. Illud vero supra fidem est, etiam inter illos, quibus splendidius doctrinæ cœlestis affulsit sidus, fuisse quosdam adeo omnis mentis expertes, ut quicquid intra humanæ sortis terminum modumque consistit, fastidirent, & æque ac Socrates, quotidiana cum cœlestibus geniis commercia jacti-

ctitarent. Occupauit tamen execrabilis iste furor Thomam Campanellam, Hieronymumque Cardanum, viros ingenii quidem & doctrinæ fama florentes, sed ita obcœcatos arrogantia, ut quid facerent, quidue loquerentur, omni pudore consumpto, parum haberent pensi, modo gloriæ insanam exsatiare possent cupiditatem. Si pertexere vanissimorum hominum catalogum liberet, Niphus quoque, Postellus, Picus Mirandula ipse, & Hermolaus Barbarus, viri in omni literarum & antiquitatis genere præstantissimi, ast gloriæ honorisque desiderio nimium quantum in transuorsum acti, hic locum inuenirent. Hi enim, quin & famæ & vitæ magnum adierint discrimen parum abfuit, dum famam glori-

amque inanem, geniorum ejusmodi commercia præ se ferendo fingendoque, temerario perquam ausu, sunt consectati. Ad Socratem vero ut redeam, potuissem nunc ire per singulas virtutes, quas alii tantopere deprædicant, & demonstrare, eas nihil aliud, quam simulacra virtutum fuisse, si ipsimet non intelligeretis, rem istam molestam admodum atque tædiosam esse. Etenim de temperantia ejus, quæ a Diogene, Cicerone, atque Plutarcho traduntur, præclara utiq; sunt. Sane quidem Gellius, temperantia eum tanta fuisse testatur, ut omnia fere vitæ tempora valetudine inoffensa vixerit. Nec Athenæo nunc suffragabor, qui compotationibus eum quandoque strenue indulsisse aliquoties asserit, & a Plato-

tone in conviuio cum Agathone & Ariſtophane ad multam noctem potantem Socratem introduci, obſeruat. Abſit enim, ut comprobare omnia illa velim quæ Socrati fuere objecta. Quin vel ideo vera eſſe credo, quæ de ſumma ejus temperantia traduntur, quod cum inſtituto Socratis intemperantia plane pugnare videtur. Ambitio ipſum facile voluptatibus omnibus mittere nuntium docuit. Se enim, primum bene vivendi Magiſtrum, ſi ipſe quæ tradebat, virtutis quadam ſpecie non comprobaret, omnium ludibrio expoſitum iri, intelligebat. Ambitio Xanthippem, moroſam admodum jurgioſamque uxorem, irarumque & moleſtiarum muliebrium, per diem perque noctem ſatagantem, ferre ſtrenue

& forti animo docuit. Tanti erat, constantis & quæ supra hominum vires posita sunt, tolerantis animi laudem, & apud cives & apud posteros retulisse! Dicebat vero Socrates se illam domi talem perpeti, ut ceterorum quoque foris petulantiam ferre disceret. Et tulit sane incredibili patientia Poetarum increpationes parum modestas: quin Aristophanis comœdiæ, quæ injuriarum plaustra in Socratem euomebat, interfuit ipse, & ut conspici ab omnibus posset, surrexit, sine comotione ulla cuncta auribus oculisque usurpans. Mirentur hic alii in Socrate animi magnitudinem, qualis, si esset vera animi magnitudo, an unquam in ullum qui Christo Seruatori consecratus est, facile eciderit, dubitari posset: ego ita

ar-

arbitror, omnia hic ad oſtentationem fuiſſe comparata. Quid vero cauſæ erat, ut comœdiæ ſpectator adeſſet Socrates, id quod ceteroquin illi non erat in moribus poſitum, niſi oſtendere hoc ipſo voluiſſet, ſe eum eſſe, qui ne grauiſſimis quidem conuitiis ad iram aut indignationem poſſit commoueri. Ambitio continentiæ quoque illi peperit laudem. Namque & hanc tum multi alii, tum præcipue Xenophon laudauit: ſed ſi vera tamen ſunt, quæ nonnulli veterum tradunt, Alcibiadis turpi amore captus fuit: id quod documento certiſſimo fuerit, ambitionis magnam quidem vim ad cetera vitia aut compeſcenda aut occultanda, non tamen tantam eſſe, ut non aliquando ſe prodant. Atque ita in ceteris ſe res habet.

Opes

tiæ præcepta dulcedine quadam conſpergeret atque condiret. Sed penitius rem introſpicite. Ipſa inſtituti hujus nouitas, facilitasque animos hominum ſibi conciliandi, & cunctos in ſui admirationem rapiendi, nonne ambitionem & gloriæ cupidinem longe lateque oſtentant? Nonne acerrima quæ cum Sophiſtis geſſit bella, idem comprobant quam luculentiſſime? Non agam Sophiſtarum cauſam. Execror homines ejusmodi & deteſtor, qui veritate inſuper habita, illas ſaltem colunt artes, ex quibus & gloriam & comoda multa ſe capturos ſperant, aut ſi ſolidioris doctrinæ partes attingunt, non id agunt, ut juuenes ad ſapientiam & virtutem erudiant, ſed ſuis commodis, ſuæ gloriæ ut conſulant

pro-

prospiciantque. Veri igitur philosophi munus esse arbitror, refellere hosce homines, fraudesque illorum detegere: ast si ea id faciant ratione, ut dum illos aliis ridendos salse propinant, sapientiæ & eruditionis captent famam ipsi, putatisne talem ab ejusmodi, quod in aliis reprehendit vitio, procul abesse? Nimirum & illud probe nouerat Socrates, quod in prouerbio dicitur: ὄφις ἢ μὴ φαγῇ ὄφιν, δράκων οὐ γεννήσεται. Ceteri omnes itaque qui ulla eruditionis & sapientiæ gloria erant conspicui, debellandi prius fuere, & ludibrio omnium exponendi, ut solus deinceps regnaret Socrates, & in ejus pectore tantum sapientia perennem fixisse sedem videretur. Quod ut obtineret eo facilius, eam quoque philosophiæ partem, quam ce-

gunt; ſunt qui de infernali genio capiunt; ſunt denique qui aliter opinantur. Mea id parum refert. Saltem illud velim cogitetis, ipſum Socratem ſemper de ſuo genio ita locutum eſſe, ceu de ſpiritu quodam cœlitus ſibi dato, ut in rebus dubiis ſemper ſibi præſto eſſet, quidue intermittendum eſſet edoceret, cui etiam ſemper ut Cicero inquit, ipſe paruit, nunquam impellenti, ſemper reuocanti. Id etiam diſerte teſtatur Plato, in cujus Timæo genium hunc, beneuolum Numen, appellitat: & quæ Xenophon, Apulejus, Plutarchus, Tertullianus, Ælianus, Clemens Alexandrinus, Auguſtinus, & alii, de genio Socratis diſſerunt, idem ſatis ſuperque evincunt comprobantque. Si ergo nunc meam mihi licet hac de re exponere ſententiam,

ita

ita arbitror : parum contentus fuit humana sorte Socrates ambitionis œstro percitus ; quare ut quandam diuinitatis sibi conciliaret existimationem, saltem ut supra ceterorum hominum sortem positus videretur, talia cum genio quodam commercia fingenda fuerunt. Hinc & in eam simul sectatores suos inducebat opinionẽ, nihil nisi præclari, & diuini ab ejusmodi homine proficisci posse, qui diuino semper stipatus genio incederet. Atque hic utique & ambitionem & fraudem callidissimi viri patere quam luculentissime, censeo. Siue enim, per genium, eum intellexisse indolem suam, & insitam quandam præsagiendi vim, contendatis, siue asseratis genii voce spiritum quendam comitem & asseclam perpetuum Socratis intelligi, ni-

hil tamen ad rei proficietis summam. Tum'enim quærerem, quare itaque hanc indolem suam aut vim præsagiendi, vocauerit genium? Cur non potius scaphā scapham dixit? Fraus ita nimis manifesto se prodit. Sin de spiritu capiatis, rursus quærere lubet, fueritne hic genius siue Angelus bonus an malus? Malum fuisse non facile concedent ipsimet Socratis patroni & defensores: ast bonum fuisse, plane abnuo. Etenim si Deus viris diuina luce collustratis, sanctissimisque vatibus, quorum memoriam sacri celebrant annales, perpetua cum geniis cœlestibus, dum inter mortales commorati sunt, non indulsit commercia: ecquis sibi persuaderet ethnico homini, rationis lumine non adeo male quandoque utenti, interim verum

rum

rim Deum, quem nos colimus & reueremur, plane ignoranti, tam singulare propitii fauoris munus concessurum fuisse. Valde lentis maxillis edunt, quibus istæ delitiæ sapiunt. In quamcunque igitur se quis vertat partem, & si vel ipse genius Socratis illi suppetias ferat, nulla tamen hinc se expediendi, illi patebit via. Atque ne ullum vobis supersit dubitandi argumentum, hoc saltem vobiscum reputate, non infrequens fuisse veteribus, ipsis etiam philosophis, aut ad honores Numini proprios adspirare, aut cœli & geniorum fingere commercia. Si vero insuper euoluere annales veterum & commemorare vellem, quid designaverit quandoque ambitio, quam pudenda & ridicula homines cetera sapientes, sed ambi-

tione inflati, peregerint, rem a meo instituto non alienam quidem, ast vobis molestam, & infiniti laboris susciperem. Ecquis est qui non Salmonei rideat stultitiam, quod jouis imitari tonitrua, adeoque pro ipso joue reputari voluerit? Sed philosophi multi multis eum superarunt parasangis stultitia. Heraclitus Ponticus ut post mortem quoque diuini quid in se latuisse posteris persuaderet, sub vestibus serpentes tantæ rei nuntios, collocari jussit. Empedocles in Ætnæ montis speluncam se conjiciens, dubium incertumque omnibus relinquere voluit, quæ illum excepissent fata, vel annon potius eo ipso, quod circumtulerat inter mortales, corpore, ad diuinitatis, unde venerat, rediisset sedes. Quis itaque impieta-

tis

tis aut levitatis accusaret Alexandrum, quod jouis Ammonii filius credi appellarique voluerit, ut tot gentes sibi subjectas in obsequio & fide, eo facilius contineret? Quis argueret Romanos Patres, quod Romulum raptum ex concione populi, & in cœlum sublatum crediderint, deinque Deum Deo natum, ut Liuius loquitur, saluere jusserint, pacemque exposcerint precibus, ut propitius suam semper sospitaret progeniem? Quis, inquam, hæc reprehenderet, cum & sapientiæ cultores & bene viuendi Magistri, sacrilega impietate divinos occupare honores non dubitent. Et quid vero mirum Socratem quoque supra hominum sortem se positum esse, videri voluisse? Sed videmus, eandem fabulam non semel fuisse actam.

Plotinum atque Porphyrium, simias Socratis qui dixerit, mea quidem opinione, haudquaquam illis fecerit injuriam. Namque & hi genios suos & nescio quem Numinis afflatum præ se ferentes, diuinitus multa se edoceri, asseuerabant, ineptam suam ambitionem hoc ipso turpissime prodentes. Credo, quod, ut Liuius de urbium primordiis dixit, miscendo humana diuinis, res suas actionesque facere augustiores hoc ipso voluerint. Illud vero supra fidem est, etiam inter illos, quibus splendidius doctrinæ cœlestis affulsit sidus, fuisse quosdam adeo omnis mentis expertes, ut quicquid intra humanæ sortis terminum modumque consistit, fastidirent, & æque ac Socrates, quotidiana cum cœlestibus geniis commercia jacti-

ctitarent. Occupauit tamen execrabilis iſte furor Thomam Campanellam, Hieronymumque Cardanum, viros ingenii quidem & doctrinæ fama florentes, ſed ita obcœcatos arrogantia, ut quid facerent, quidue loquerentur, omni pudore conſumpto, parum haberent penſi, modo gloriæ inſanam exſatiare poſſent cupiditatem. Si pertexere vaniſſimorum hominum catalogum liberet, Niphus quoque, Poſtellus, Picus Mirandulâ ipſe, & Hermolaus Barbarus, viri in omni literarum & antiquitatis genere præſtantiſſimi, aſt gloriæ honoriſque deſiderio nimium quantum in transuorſum acti, hic locum inuenirent. Hi enim, quin & famæ & vitæ magnum adierint diſcrimen parum abfuit; dum famam glori-

amque inanem, geniorum ejusmodi commercia præ se ferendo fingendoque, temerario perquam ausu, sunt consectati. Ad Socratem vero ut redeam, potuissem nunc ire per singulas virtutes, quas alii tantopere deprædicant, & demonstrare, eas nihil aliud, quam simulacra virtutum fuisse, si ipsimet non intelligeretis, rem istam molestam admodum atque tædiosam esse. Etenim de temperantia ejus, quæ a Diogene, Cicerone, atque Plutarcho traduntur, præclara utiq; sunt. Sane quidem Gellius, temperantia eum tanta fuisse testatur, ut omnia fere vitæ tempora valetudine inoffensa vixerit. Nec Athenæo nunc suffragabor, qui compotationibus eum quandoque strenue indulsisse aliquoties asserit, & a Plato-

tone in conviuio cum Agathone & Ariſtophane ad multam noctem potantem Socratem introduci, obſeruat. Abſit enim, ut comprobare omnia illa velim quæ Socrati fuere objecta. Quin vel ideo vera eſſe credo, quæ de ſumma ejus temperantia traduntur, quod cum inſtituto Socratis intemperantia plane pugnare videtur. Ambitio ipſum facile voluptatibus omnibus mittere nuntium docuit. Se enim, primum bene vivendi Magiſtrum, ſi ipſe quæ tradebat, virtutis quadam ſpecie non comprobaret, omnium ludibrio expoſitum iri, intelligebat. Ambitio Xanthippem, moroſam admodum jurgioſamque uxorem, irarumque & moleſtiarum muliebrium, per diem perque noctem ſatagantem, ferre ſtrenue

& forti animo docuit. Tanti erat, constantis & quæ supra hominum vires posita sunt, tolerantis animi laudem, & apud cives & apud posteros retulisse! Dicebat vero Socrates se illam domi talem perpeti, ut ceterorum quoque foris petulantiam ferre disceret. Et tulit sane incredibili patientia Poetarum increpationes parum modestas: quin Aristophanis comœdiæ, quæ injuriarum plaustra in Socratem euomebat, interfuit ipse, & ut conspici ab omnibus posset, surrexit, sine comotione ulla cuncta auribus oculisque usurpans. Mirentur hic alii in Socrate animi magnitudinem, qualis, si esset vera animi magnitudo, an unquam in ullum qui Christo Seruatori consecratus est, facile ceciderit, dubitari posset: ego ita

ar-

arbitror, omnia hic ad ostentationem fuisse comparata. Quid vero causæ erat, ut comœdiæ spectator adesset Socrates, id quod ceteroquin illi non erat in moribus positum, nisi ostendere hoc ipso voluisset, se eum esse, qui ne grauissimis quidem conuitiis ad iram aut indignationem possit commoueri. Ambitio continentiæ quoque illi peperit laudem. Namque & hanc tum multi alii, tum præcipue Xenophon laudauit: sed si vera tamen sunt, quæ nonnulli veterum tradunt, Alcibiadis turpi amore captus fuit: id quod documento certissimo fuerit, ambitionis magnam quidem vim ad cetera vitia aut compescenda aut occultanda, non tamen tantam esse, ut non aliquando se prodant. Atque ita in ceteris se res habet.

Opes

Opes enim ac nobilitates eum adeo respuisse, ut in se nihil habere honestatis, teste Diogene Laërtio diceret, eo minus miror, quod & homines ingenio & dissimulandi artificio Socrate multum inferiores, sed ambitione itidem & gloriæ cupidine laborantes, ad sapientiæ & virtutis sibi conciliandam famam, idem factitasse, gentium omnium nos doceant annales. Nec de humanitate ejus quæ traduntur, in dubium voco, cum notum satis in vulgus sit, humanitatem, fictam scilicet, & ad capiendos hominum animos comparatam, ambitionis comitem esse perpetuum. Sic enim aucupari aliorum fauorem, sic conciliare nobis illos oportet, qui nos sectentur, nostrasque undique disseminent laudes. Atque nisi me

omnia fallunt, insignis ille erga juvenes, quem præ se tulit amor, illa flagrans cupiditas honestate sapientiaque illorum animos imbuendi, idem comprobare haud obscure videtur. Ita demulcere, ita delinire eos decet, quos nobis fauere, magnopere nostra interest. Sed &, qua usus est, docendi ratio, quæso vos, nonne summam redolet ambitionem? Oberrauit in foro, ingressus est palæstras, sedit circa mensarios, ad interrogandum, ad audiendum semper paratus. Dionis Chrysostomi, ut hæc afferam, nitor auctoritate. Consulere quidem ita omnibus videbatur, & sapientiæ semina latius spargere, tum quod omnis conditionis atque fortis hominibus ita impertirentur, tum quod hæc docendi ratio asperiora sapientiæ

tiæ præcepta dulcedine quadam conſpergeret atque condiret. Sed penitius rem introſpicite. Ipſa inſtituti hujus nouitas, facilitasque animos hominum ſibi conciliandi, & cunctos in ſui admirationem rapiendi, nonne ambitionem & gloriæ cupidinem longe lateque oſtentant? Nonne acerrima quæ cum Sophiſtis geſſit bella, idem comprobant quam luculentiſſime? Non agam Sophiſtarum cauſam. Execror homines ejusmodi & deteſtor, qui veritate inſuper habita, illas ſaltem colunt artes, ex quibus & gloriam & comoda multa ſe capturos ſperant, aut ſi ſolidioris doctrinæ partes attingunt, non id agunt, ut juuenes ad ſapientiam & virtutem erudiant, ſed ſuis commodis, ſuæ gloriæ ut conſulant pro-

prospiciantque. Veri igitur philosophi munus esse arbitror, refellere hosce homines, fraudesque illorum detegere: ast si ea id faciant ratione, ut dum illos aliis ridendos falsè propinant, sapientiæ & eruditionis captent famam ipsi, putatisne talem ab ejusmodi, quod in aliis reprehendit vitio, procul abesse? Nimirum & illud probe nouerat Socrates, quod in prouerbio dicitur: ὄφις ἢ μὴ φαγῇ ὄφιν, δράκων οὐ γεννήσεται. Ceteri omnes itaque qui ulla eruditionis & sapientiæ gloria erant conspicui, debellandi prius fuere, & ludibrio omnium exponendi, ut solus deinceps regnaret Socrates, & in ejus pectore tantum sapientia perennem fixisse sedem videretur. Quod ut obtineret eo facilius, eam quoque philosophiæ partem, quam ce-

ceteri coluerant hactenus, plane rejecit atque repudiavit. Dicebat enim, tantam esse rerum physicarum & præcipue cœlestium incertidudinem, ut satius esset, iis in uniuersum abstinere. Refertur ejus, quoties de cælestibus rogabatur, responsum: quæ supra nos nihil ad nos. Videtur quidẽ illud laudare Lactantius, dum Socratem paulo cordatiorem quam ceteros, fuisse dicit, qui rerũ naturam putarunt ingenio posse comprehendi? Statimque subjicit: aliquid ergo Socrates habuit cordis humani, qui cum intelligeret, hæc non posse inueniri, ab eiusmodi quæstionibus remouit. Sunt tamen alii, qui in Socrate hoc reprehendunt, perperamque ab eo dictũ putant, rerum naturalium nullam esse certitudinem, earundemque nemině posse percipere causas. Quicquid

quid hujus sit, mea id parum refert. Istud quidem recte a Socrate dictum arbitror, eam philosophiæ partem, quæ mores hominum fingit, diligentius esse colendam, quam quæ rerum naturalium aperit fontes: nefasque esse, illotis quod ajunt manibus hæc contrectare sacra, diuinarumque ac naturalium rerum scrutari velle prius indolem, quam sua quis correxit & emendavit vitia. Et illud quidem est, quod etiã Augustinus de Socrate memoriæ prodidit, *noluisse illum* dicens, *immundos terrenis cupiditatibus animos se extendere ad divina.* Hæc, inquam, & forte alia quædam, in hoc instituto mihi non displicent: sed anon & hic suam prodiderit ambitionem, illud quidem est, de quo ambigo. Vestram testor fidem, quid frequen-

quentius ambitiosis hominibus, quam literas ipsas artesque, quibus excellere alios vident, contemnere, easque ut vanas & inutiles, fastidire? Namque si crederent ipsi ceteras artes itidem bonas esse atque præstantes, hoc ipso faterentur, se quod bonũ atque præstans est, ignorare. Hoc vero ut fateatur homo ambitionis veneno infectus, nunquam a se impetrabit. Nulla alia itaque superest via, ut sibi consulat, quam artes ipsas ut viles, aut ad ostentationẽ saltem comparatas, aut parum viro sapiente dignas, vel nullam hominum generi utilitatem afferentes, contemnere. Atque cum Socratis quidem in omnibus satis eluxerit ambitio, haud difficulter vos in eam ingressuros sententiam puto ut credatis, non alia

lia ratione ad ſtudia phyſica reiicienda eum adductum fuiſſe, quam quod callidus homo probe intelligeret, ceteros hac arte ſe eſſe ſuperiores, vel quod metueret, ne illi philoſophiæ parti, cujus velut auctor & conditor haberi volebat, non magnum ſatis poneretur pretium, ſi & phyſicæ doctrinæ ulla eſſet dignitas. Ambitionis œſtro percitorum hominum hæc eſt indoles ut ſoli ſapere, ſoli facere quæ recta, quæ juſta, quæ honeſta ſunt, videri velint; ceteri omnes autem fungorum inſtar illis ſunt, cito orientium, citius pereuntium. Quin ſi unicum hocce, pace veſtra, mihi adjicere liceat, nonne ipſa illa conſtantia, qua mortem tulit, quam omnis attonita admirata eſt poſteritas, nonne inquam animum Socratis ſatis prodit?

dit? Multum quidem fateor, ad mortem fortiter ferendam ipsa illa Socratis innocentia fecit. Impiis enim, ut Cicero inquit, sententiis eum damnatum esse, non adeo abnuo. Solenne erat Atheniensibus, tam ingratos ergo optimos etiam ciues se præbere. Nec abnuo per indolis suæ conditionem, perque exercitationem quandam & consuetudinem, forti & intrepido perquam ad aduersa quæuis excipienda, eum fuisse animo. Sed enim vero Socratem sic cogitasse rationesque velut secum inivisse censeo, cum inter res mortalium caducas admodum & fragiles, nihil tamen perennius sit magisque duret, temporisque eludat edacitatem, quam virtutis & sapientiæ gloria, hanc modo si fuerit consecutus, ceteris omnibus

bus & ipsa facile se carere posse vita. Viues enim dixit, & in æternum viues, si posteri serique prædicent nepotes, fuisse virum tam supra omnem fortunam positum, ut nec mortis commoueretur terrore, quin ut placido animo ultimam expectaret horam, de variis rebus cum amicis sermones serens, & disputans quoque, donec animam, nec metu nec dolore, nec ullis hostium artibus victus, efflaret. Rationibus sane probe mecum subductis ita sentio, ambitionis non minorem vim esse in animum hominis; quam metus aut doloris, aut ceterarum, quæ mortales vexant, animi perturbationum. Jam vero quot viri, aut doloribus succumbentes, aut metuentes ignominiam, vel alia ratione ducti, sibi ipsi consciuere mortem?

Non-

Noñe Cato, nonne Atticus, nonne præstantissimi Stoicorum, sæpius hoc factitarunt, exemplis suis præceptionibus, quibus porticus personuit, novum conciliantes robur? Quis ergo dubitet & gloriæ cupiditate adduci posse homines, ad subeundam intrepido & imperterrito animo mortem? aut Socratem non alia ratione impulsum, certissimum hujus rei documentum reliquisse posteris, quis ambigeret? Et ita quidem satis me euicisse puto, non omnino nullo jure Socratem utut morum censorem accerrimum, inter illos Philosophos promereri locum, quos ἄνευ τοῦ πράττειν μέχρι τοῦ λέγειν Epictetus vocauit. Hæc ubi dixeram, Seuerus subjicit: video quidem te nihil fecisse reliqui, ut nobis persuaderes, Socratem lon-

longe alium esse, quam hactenus eum fuisse putauimus, aut etiam summi doctissimique crediderunt viri. Scio sane fuisse, qui Socratem redarguerunt. Namque præter Aristophanem atque Porphyrium, juratos Socratis hostes, & strenuos obtrectatores, præter illos quoque, quos ipsemet antea laudasti, ex Ecclesiæ Doctoribus, Tertullianus, Gregorius Nazianzenus, Cyrillus, Theodoretus, & alii, Socratem adeo non pro sapientissimo mortalium reputarunt, ut insipientiæ & stultitiæ, & grauissimorum eum accusarent vitiorum. Sed ut Aristophanem Porphyriumque, & qui illis fuerunt similes, invidia, & inexpiabile odium, & obtrectandi dira libido in transvorsum egit: ita Ecclesiæ Doctores, quos Pa-

tres vocamus, summum studium Gentiles refellendi, ad hoc adduxit impulitque. Solebant enim Gentiles, quoties cum Christianis illis intercedebant lites, philosophos suos, præsertim Socratem ostentare, horumque ita deprædicare virtutes & vitæ integritatem, ut eos Apostolis, optimis utique viris, & ipsi Christo Servatori, præferre, nulli dubitarent. Quin & miracula a philosophis edita fingebant, ut haberent, quod opponerent Christianis, ad Christi Seruatoris & Apostolorum miracula provocantibus. Vel unicus ille Apollonius Thyanæus, & quæ de illo cum ceteri omnes, tum maxime Philostratus, sine teste, sine ratione, sine ullo documento, commenti sunt, literisque prodiderunt, hoc satis superque comprobant

G

bant

bant. Hisce itaque cauillationibus atque figmentis ut obuiam irent sacri Doctores, demonstrandum sibi sumpserunt, & ficta esse ista, quæ jactitabant miracula, & virtutes quoque philosophorũ saltem splendida virtutum simulacra, fuisse. Quæ dum ita docuerunt, durius sæpius tum de ceteris philosophis, tum maxime de Socrate locuti sunt. Non ergo illorum auctoritas tibi præsidio erit: quin & cum nullæ amplius disceptationes cum Gentilibus nobis intercedant, non est, ut virtutes philosophorum in dubium vocemus. Quare satius esse credo, quæ de Socrate unanimi consensu tradita sunt a veteribus & literis consignata, non conuellere. Rationes quidem quasdam attulisti; quæ, parum abfuit, quin a me

impetrauerint, ut fidem a te di-ctis adhiberem. Sed multæ quoque debiles admodum sunt, & parum firmo nituntur talo. Quin & ex modestiæ lege, laudanda esse, quæ recte & præclare a veteribus dicta factaque sunt, quæ secus se habent, excusanda potius, quam vituperanda, aut redarguenda, arbitror. Tum vero & ego, excusanda utique sunt, inquiebam, & minime reprehendenda, modo excusari possint, nec reprehendi debeant. Sane quidem laudari Socratem ab aliis non ægre fero. Sit, per me licet, fons omnium philosophorũ, ut Ciceroni audit, sit doctrinæ clarissimum columen, ut Valerio Maximo vocatur, sit omnium Philosophorum doctissimus, ut eum ipse appellat Lactantius, sit Princeps omnium Philosophorum ut ite-

rum

rum a Cicerone nominatur, sit sapientiæ quoddam terrestre oraculum, ut Xenophonti dicitur: non abnuo. Largior enim ipsemet, Socratem virum fuisse, ingenio excellenti, doctrina singulari, talem denique, quo cum comparari qui possint, pauci admodum reperiantur. Nihil de gloria Socratis detractum cupio. Nec id diffiteor, fuit, quin fuit in Socrate. quod omnes mirari decet. Ast vero nec illud quenquam, saltem sanæ mentis hominem, inficiari puto, magnis quoque vitiis coopertum fuisse eundem illum bonum Socratem. Quæso te, mi Seuere, putasne, posse hominem solis naturæ ac rationis viribus gaudentem, ad illud virtutis fastigium peruenire, ad quod cœlestis gratia, homines, qui Seruatori nostro

Christo nomen dederunt, prouehit? Non puto te hoc asserere, nec enim, quam cum diuinis literis hoc pugnet, te fugit. Vide igitur, quam bene sibi consulant, qui Socratem tot laudibus in cœlum euehunt, & annon naturæ plus tribuant viribus, quam illi tribui oportebat, adeoque in Pelagii militent castris. Sane quidem, si talis fuit, qualem plerique nobis fingunt, Socrates, utique solas naturæ vires, ad hoc suffecisse, neutiquam mihi persuadeo. Intellexerunt illud haud dubio, Doctores illi, quos ipsemet laudasti, sanctissimi. Horum ergo auctoritas magnum meæ conciliat sententiæ, robur. Licet enim cum Gentilibus illis intercedant lites, quæ hodie cessant, non minus tamen recte inde præsidium peto. Non enim

So-

 205

Socratis amore eo usque te abreptum credo, ut Doctores hosce falsa dixisse, aut commentis causæ suæ consultum voluisse, existimes. Veritatis tanta vis est, ut mendaciis neutiquam sit tuenda. Jam vero de integerrimis sanctissimisque viris, quis hoc asserere auderet? Vera sunt, aut falsa quæ de Socrate censuêre. Falsa esse, is demum dixerit, qui aut ignorantiæ turpissimæ, aut fraudis maximæ arguere summos viros, in animum induxerit. Si autem vera sunt, quid vetat, quo minus & hodie vera dicamus: saltem æque graues, ut dicamus, præsto sunt causæ. Ad rationes quod attinet, quibus meam antea stabiliui sententiam, omnibus eandem non inesse vim, neutiquam diffiteor. Si tamen, quædam non euincant,

quod euincere debent, junctim illas sumi velim, & tum sane suo non destituentur robore. Sed ferat sententiam Florinus. Non audeo, regerebat Florinus, hanc definire litem; anceps enim dubiusque hæreo. Et licet, quod ad tuas regeram rationes, non habeam in promptu, tot virorum tamen secus sentientium auctoritas vetat, quo minus me totum illis dare queam. Præterea, quæ tibi displicet opinio, tam altas in mente mea radices egit, ut illas uno evellere impetu, plane supra vires meas positum sit. Dimittamus itaque, si placet Socratem: & si non graue aut molestum tibi fuerit, de aliis etiam Philosophis ut exponas, rogo. Memini enim te dixisse, non Socratem modo sed & ceterarum hæresium Philosophos, utut

præ-

ſtantiſſimos, non alio a te haberi loco. Sane quidem de Platone Socratis diſcipulo optimo, quid dicere poſſis, non me fugit. Jam enim apud Senecam legi, ei objectum fuiſſe, quod aliter viueret, quam loqueretur. Apud Athenæum vero, ſi recte memini, ſummæ inſimulatur ſuperbiæ, calumniator quoque, peruerſus ac maleuolus, apud eundem vocatur, malignoque erga omnes eum fuiſſe animo, inde euincitur, quod contra Phædonem *actionem vindiciariam inſtituerit*. Taceo quæ Comici in illum euomunt conuitia, acerbiora grauioraque. Quin Athenæus inuidum, improbumque, vocare non dubitat, & Chryſoſtomo *deterrimus Leno*, audit. Hieronymus eum ſtultum appellat. Athenæo quidem quan-

tum tribuendum sit, non me fugit. Sed vero nec ceterorum auctoritas sola me mouet, cum vice versa non desint, qui virtutes Platonis in cœlum evehant. Ælianus præter fortitudinem & continentiam, humilitatem quoque ejus, magnopere deprædicat. Lactantio justitiæ patronus salutatur. Quicquid tamen hujus sit, eum magnorum vitiorum non fuisse immunem, plane mihi persvadeo. Video itaque, cum Socratis tam rigidum egeris censorem, te, in Platonem, non fore mitiorem. Multo minus Aristotelem inter illos referre audeo, qui ea, quæ docent, faciunt ipsi. Sane jam ipse Philo Ebræus dixit: Ἀριστοτέλης μήποτ᾽ εὐσεβῶς καὶ ὁσίως ἐπιστάμενος, *Aristoteles nunquam pie & sancte doctus fuit.* Lactantius

tius vero Aristotelem Deum nec coluisse, nec curauisse, diserte pronuntiat. Taceo cetera: adeo enim multa sunt, quæ hunc in modum afferri solent, loquacem ut delassare possent Fabium. Videntur enim veteres æque ac recentiores in eo conspirasse, ut conuitia in Aristotelem congererent, sine modo, sine fine. Neque vero Franciscus ille Patritius tantum id omnibus viribus egit, ne quis mortalium Aristotelem bonum fuisse virum crederet, sed & in seculi fere consuetudinem abiit, ut tanto quis habeatur doctior, quanto plura in Aristotelem euomere didicit conuitia. Et ego quidem, licet admodum mihi displiceant illorum mores, qui tum demum sapere sibi videntur, si contemnant Stagiritam; non tamen excu-

ſare omnia ejus vitia volo, multo minus hoc a Te me impetraturum confido, ut Stagiritam inter viros vita & verbis philoſophos, promereri locum concedas, poſtquam ipſi Socrati eum denegaſti. Quod ad diſcipulos & ſectatores tum Platonis tum Ariſtotelis attinet, vix quenquam illorum Philoſophis, qui ſunt & μέχρι τοῦ πράττειν & μέχρι τοῦ λέγειν annumerare audeo. Etenim eruditionis magis & doctrinæ gloria, quam vita integre pieque acta, illos honeſtauit. Ecce! quam liliberalis ſim. Celeberrimos ſapientiæ Antiſtites, philoſophorum nomine indignos cenſeo. Sed tamen, niſi me omnia fallunt, in porticu ejusmodi me deprehenſurum homines credo, qui te ipſo judice doctrinæ ſuæ præceptiones, ſuis comprobarunt confir-

firmaruntque moribus. Non omnes Stoicos hac laude dignos esse assero. Absit. Namque & in porticu multos fuisse, qui tum demum maximos philosophos virosque sapientes se crediderunt, si sapientem, ut Horatius ait, alerent barbam & pallio tegerentur, agnosco perlibenter. Scio, fuisse inter eos, qui nihil aliud egerunt, quam ut aliorum facunde accusarent vitia, intercutibus ipsi vitiis madentes, & ceteros homines desipere & insanire semper clamarunt, quibus tamen optimo jure accini poterat illud Venusini Vatis: *O! major tandem parcas insane minori.* Sed quosdam tamen, hanc ipsam Stoicorum tulisse sectam arbitror, qui veræ sapientiæ perfectæque & consummatæ virtutis exempla reliquerunt posteritati. Nihil de

Zenone sectæ conditore dicam, nihil de Epicteto, aliisque præstantissimis viris: saltem triumuiros istos Catonem, Senecam, & Marcum Aurelium Antoninum Imperatorem, prodire nunc in scenam jubeo, veræ sapientiæ magistros optimos, in quorum moribus, quod reprehendi possit, vix quenquam reperturum, arbitror. Et Marcus quidem Porcius Cato, Uticensis ille, quem & Minorem vocat, ipso Cicerone teste, *sanctissimus* fuit, omnibusque prope humanis vitiis imunis, & ad omnes virtutes magnus homo & excelsus, quin Vellejo autore homo plane virtutisimillimus, & *per omnia ingenio Diis quam hominibus propior*. Ecquis vero est, qui non ingenuam & apertam ejus indolem, & candorem singularem admire-

tur? Crederes, naturam ipsam suas experiri voluisse vires, cum incredibili ista & summa grauitate Catonis muniret pectus. Fuit enim illi ἦθος ἄτρεπτον καὶ ἀπαθὲς καὶ βέβαιον ἐν πᾶσι. Hæc vero, qua præditus erat, stabilitas animi tanta fuit, ut nulla unquam vis & minæ, nulla injuria, nullius auctoritas vel suada, neque amicitia cujusquam, nulla vel species juris, nec res denique ulla, a proposita semel sententia susceptoque consilio abstrahere eum potuerit aut dimouere. Jam vero de pietate Catonis quid dicam? Quam præclara sunt, quæ tum ceteri in uniuersum omnes, tum maxime Labienus apud Lucanum, hac de re dicunt? *Cui* inquit, *crediderim superos arcana daturos? dicturosque magis quam sancto vera Catoni? Certe vita ti-*

bi

bi semper directa supernas ad leges, sequerisque Deum. Et ut paucis multa complectar, quicquid ageret, quicquid susciperet Cato, constitutum illi erat, rationis legibus obtemperare. *Hi mores, hæc duri immota Catonis secta fuit, seruare modum, finemque tenere naturamque sequi.* Possem ire per singulas virtutes & demonstrare, quam fuerit justitiæ cultor, & rigidi seruator honesti, quam nullos in actus Catonis subrepserit unquam, partemque tulerit sibi nata voluptas: possem inquam de castitate, de temperantia, de continentia, de forti & intrepido Catonis animo, & ceteris quibus immortale sibi peperit decus, virtutibus multa differere, nisi Iliada post Homerum componere, & vana opera, ejus viri canere

nere laudes viderer, quem nemo bonus unquam vituperauit. Fuit itaque Cato homo & philoſopha opera & philoſopha ſententia. Jam ad Senecam quod attinet, cui alterum a Catone dedi locum, ſunt ſane, qui ultra philoſophi eum euehunt ſortem, nec natum facile ullum, aut naſci poſſe contendunt, cum eo qui conferri poſſit, tantum abeſt ut præferri quis ei debeat. Utique ſcripta hujus viri excelſum & ſupra omnem fortunam poſitum animum animum contemptorem voluptatum, delitiarum, honorum, divitiarum, animum fortem, imperterritum, in utraque fortuna conſtantiſſimum ſpirant, & certiſſimo arguunt documento. Scio quidem, ſæpius peſſimos mortalium, præclare admodum de virtute feciſſe verba: ſed vero & iſtud ſcio, mentem hominis quan-

quantumvis reconditam & abstrusam, cum aliis signis quamplurimis, tum maxime sermone & scriptis detegi ac prodi. Fallitur, fallitur quisquis putat, se dum loquitur aut scribit, animi sui occultaturum ad vitia aut virtutes propensionem. Prodit se ubique, & dum quam diligentissime tegitur, quam maxime se prodit. In Seneca autem quam non sincerum virtutis studium ubique elucet? Sermo vegetus & calens, & summus qui ubique conspicitur vigor, nonne idem comprobant? Cum enim animum, ut ille ait, ipse habeat, animum facit. Sed vero & ipsam Senecæ vitam, ipsos mores, expendite. Quanta in eo fuit animi constantia? quam nunquam elatus fuit rebus secundis? & cum opibus fortunisque afflueret, quam

quam illis non aliter quam ad necessitatem usus est? Multi frugalitatis ac temperantiæ consecuti sunt laudem: sed ipsa rerum omnium inopia eos frugales esse jussit. Diuitem autem hominem frugalem esse, & coërcere voluptates, iisque ponere modum, tanto præclarius est, quanto difficilius in tanta rerum omnium abundantia, ad mala quæuis valde procliuis natura hominum, cohibetur, regiturue. Ita enim arbitror, non posse illustrius edi documentum virtutis, quam si quis nec efferatur rebus secundis, nec aduersis ita deprimatur ut animum abjiciat. Seneca vero non ridentis modo fortunæ non succubuit blanditiis, verum eadem animi firmitudine, infensæ sibi tela excepit. Cum patriæ, cognatis, amicis, plurima

dicta

dicta salute, missus in exilium esset, non minus læto hilarique animo fuit, quam si inter amicorum cætus, aulico circumseptus splendore, & magnis honorum titulis fulgens, viueret. Adeo perinde viro sapientissimo fuit, gaudere fallacis fortunæ muneribus, & iisdem carere. Sed mortis forte victus est terrore! Quin hic demum apparuit, quantus vir esset Seneca. Cum enim amici, ut ex Tacito nostis, a lachrymis sibi non temperarent, Seneca modo sermone, modo intentior in modum coercentis, ad firmitudinem eos reuocauit, rogitans: ubi præcepta sapientiæ? ubi per tot annos meditata ratio aduersum imminentia? & sic placide, ut conuiua fatur, liceat Horatii voce mihi uti, ex vita discessit, suis præceptionibus,

qui-

quibus ad virtutem erudiuerat alios, proprio exemplo, nouum concilians robur. Quod si vero nec Seneca, nec ullus philosophorum a te impetrauerit, ut vixisse eum credas sicuti docuit, Marcus tamen Aurelius Antoninus, ut mea fert opinio, suo jure hoc impetrabit. Namque quanti hunc ipsemet facias, non semel significasti, quin laudasti eum, si recte memini, & in exemplum proposuisti, in quod omnes, non Principes tantum, sed quotquot sapientiæ studiis consecrarunt animum, intueri ceu in speculum pulcherrimum, omnes, quæ in mortales unquam cadere possunt, virtutes exhibens, deceat. Et fuit tibi, ut hoc faceres, prægnans ratio. Nec illud mihi displicet, quod libros, quos, περὶ ἑαυτοῦ πρὸς ἑαυτὸν scripsit, ceteris omni-

omnibus in hoc genere dubia facere palmam censes. Hal in eo consentientes tecum gı vissimos viros, qui jampriden intellexerunt, aut hisce Anton ni effatis, sapientissimis utique, recondita quadam vi pollent bus, aut nunquam alias adduc posse feroces mentes, ut improbos exuant mores, sapereque & secum morari discant. Hoc cum penitus tibi persuasum esse credam, non amplius dubito, quin hunc Imperatorem, sanctissimum, ut Julio Capitolino dicitur, grauissimum, ut Tertulliano audit, prudentissimum & philosophiæ plenum, ut Justiniano Imperatori appellitatur, vel ut alibi ab eodem Justiniano vocatur φιλοσοφώτατον, hoc est, ut cum veteri Nouellarum interprete loquar *Philosophissimum*, talem deni-

nique fuiſſe credas, quales ſapientia omnes eſſe jubet. Nulla enim virtus dici aut intelligi poteſt, quæ non honeſtauit Antoninum. Julius Capitolinus dum eum ingenio clarum, placidumque, moribus clementem, ſobritum præcipue, mitem, largum, alieni abſtinentem, & omnia hæc *cum menſura & ſine jactantia* fuiſſe dicit, dum eum in cunctis laudabilem & merito cum Numa Pompilio comparandum, vocauit; aliquid mihi dixiſſe videtur: ſed omnes quas promeruit Antoninus, laudes, eum hiſce verbis complexum eſſe, tantum abeſt ut credam, ut ne minimam quidem illarum partem, eum conſecutum eſſe plane mihi perſuadeam. Sed quid laudo Imperatorem, qui omni laude eſt ſuperior, aut, quem laudare, idem

eſt

eſt ac rem probare velle, de (
nemo ſanus unquam dubita
Hoc ſaltem addo, eum ſuo cc
probaſſe exemplo iſtud Stoi
rum effatum, ſapientem om
recte facere, adeoque & felici
imperare. Quanta enim pr
dentia, quanta felicitate, in c
ſpenſandis gentium fatis, uſi
ſit, & nemo ignorat, nec luculen
tiſſimæ, quibus ab omnibus o
natur, laudes, ignorare quen
quam ſinunt. Hic dicendi feci
finem Florinus, inſimul rogitans
ut meam hac de re amplius expli
carem mentem, & ſi quæ mihi ſe
obtuliſſent dubia, cordate ex-
ponerem. Quare hunc in mo-
dum diſſerere cœpi; tuis, mi Flo-
rine, refragari juſſis, religioni mi-
hi duco. Multa quidem ſunt, quæ
me, quo minus aliquid adderem,
deterrere poterant. Si enim de
illis

illis, quos laudasti, magnis utrique viris, secus ac tu, sentiam, vix dubito, quin in eam ingressuri sitis sententiam, nihil aliud mihi constitutum esse, quam reprehendere summos philosophos, & de illorum aliquid detrahere gloria. Quam vero putidum sit, alios vituperando, aucupari gloriolam, non ignoro. Sin vero laudauero, iniquiorem forte in Socratem me fuisse putabitis, hominibus, Socrate multum inferioribus, tribuendo laudem, quam denegaueram ipsi. Sed geram tamen tibi morem, & quid sentiam, libere dicam. Platonem cathedrariis, ut cum Seneca supra vocasti, philosophis annumerandum esse, ipsemet judicasti. Sed temeritatis tuæ sine dubio grauissimas daturus esses pœnas, si & nostra ætas Bessariones ferret. Hi enim, post Georgi-

um Trapezuntium, primum inter calumniatores Platonis, te obtinere locum contenderent. Ego quidem ut in ipsa doctrina Platonis multa laudanda, multa redarguenda, arbitror: ita nec mores ejus culpabo nunc, nec tamen tales fuisse asseram, ut Socrate melior censeri debeat. Ad Aristotelem quod attinet, plane me tibi suffragantem habes. Quænam enim viri hujus, cui tantum philosophia debet, sint nostra ætate fata, neminem fugit, & tu ipse, mi Florine, qua es animi integritate, recte animadvertisti. Quanto rectius veteres isti, Cicero, Gellius, Macrobius, Seneca, Plutarchus, Quintilianus, & quotquot doctrina præstantes fuere viri, senserunt, quibus omnis rei humanæ peritissimus, bonarum artium antistes, summus in omni doctrina

na vir, summus philosophus, philosophorum doctissimus, audit, qui præstantissimam in eo doctrinam fuisse, qui eum nihil ignorasse, quæ sciri ex seculi conditione poterant, dicunt. Sed mores tamen ejus undiquaque innocentissimos fuisse, non asseverauero: adeo turpes fuisse, ut nonnulli fingunt, plane abnuo. Ast fauet sibi obtrectandi libido, positumque ita in moribus est, nec laudibus nec obtrectationibus, modum ponere. De Stoicis quoque non adeo dissentio. Quin ingenuam tuam laudo proboque indolem, quod, cum Stoicis præcipue te fauere videam, non tamen omnes iisdem præditos fuisse virtutibus, agnoscas, ipseque fatearis. Ita enim est, si ulla philosophorum familia, Stoica certe, ignauos homines, vanosque sapientiæ fictæ

 osten-

oſtentatores, aluit. Non una veterum hac de re legitur querela. Nec tamen abnuo, cordatos quosdam inter illos nunquam non vixiſſe viros: aſt, quos tu tantopere laudas, an ii fuerint, qui & tibi & multis aliis doctiſſimis viris videntur, ambigo. Zenonem ſectæ conditorem, prætermittis quidem, de ejus tamen virtute haud eſſe dubitandum, non obſcure innuis. Hujus vero accuratius vellem ſub examen revocari mores, cum & parens omnium Stoicorum ſit, & ceteri ſe illo longe inferiores reputauerint. Putaſne autem tot elogiis dignum eſſe Zenonem, quot ornatur? Minime gentiũ. Sane ut hoc euincam, ipſi libri ἐρωτικῆς τέχνης, ſiue, quos de arte amandi ſcripſit, itemque de Republica commentarii, haud contemnendum mi-

hi argumentum præbent. Etenim in hisce obſcœnas, turpes, vanas, ridiculasque pertractatas eſſe quæſtiones, veteribus æque ac recentioribus eſt obſervatum. Pertexit vaniſſimarum quæſtionum catalogum Athenæus, quem ſi & ego recitare vobis vellem, tuſſim vobis mouerem atque grauedinem; adeo ſunt frigidæ. Namque inter alias, & hanc affert: πῶς ταῖς ἐπιχύσεσι χρηστέον, *quomodo trullis vinariis ſit utendum?* Digna profecto res, quã tantus expediat philoſophus. Non me fugit, plures olim fuiſſe, quibus Zenonis nomen hæſit, ſed hoſce tamen libros, nõ alium quã Stoicæ ſectæ conditorem, agnoſcere parentem, certiſſimis euincere poſſum documentis. Arguantne itaque ejuſmodi ſcripta, animum ſolida virtute imbutum, ipſimet judicate. Interim eun-

 dem

dem Zenonem ſumpto ſupercilio, ſua egregie diſſimulaſſe vitia, adſtrictaque & auſtera vivendi ratione, magnam virtutis ſibi conciliaſſe gloriam, non abnuo. Nec miror, eum caliginem offudiſſe Athenienſium mentibus, ut corona quoque aurea eum donarent, addita ratione: *quia vitam ſuam exemplar omnibus proponeret, conſentaneam verbis ac doctrinæ.* Multo minus miror, Antigonum Gonatam in Zenonis adeo raptum fuiſſe admirationem, ut de morte ejus certior factus exclamaret: *Quale theatrum perdidi.* Quam facile enim decipi homines, & in errorem induci poſſint, ſi vitia virtutis induant ſpeciem, non ignoratis, aut ſi ignoratis, ipſa vos hoc docebit experientia. Sed faceſſat

Ze-

Zeno. Nec de Epicteto quicquam dicam, cum nec ipse hoc a me exigas. Fateor tamen, si quis unquam philosophus fuit, cujus accurate cum doctrina & verbis, vita moresque conspirarunt, Epictetum hanc promereri laudem arbitror, certe prope ab ista gloria, quæ summa utique est & excellens, eum abfuisse, plane judico atque contendo. Interim virtutes ejus, ut penitus mihi perspectas & exploratas non defendam, cum pauca ista quæ de vita ejus nobis innotuerunt, non permittant, ut certi quid definire liceat. Contra quæ tu attuliste veræ sapientiæ & virtutis exempla, mi Florine, ejusmodi omnino sunt, ut quæ adferri in contrariam sententiam possint, haud pauca sese mihi offerant. Catonem cumprimis adeo te laudasse,

ut nec meliorem a natura fingi posse, existimaueris, miror. Etenim si vel maxime tibi largiar, fuisse Catonem excelso animo & excellenti virtute virum, vitia tamen, quibus præditus erat, forte virtutibus non fuere minora. Moribus eum austerum admodum fuisse, omnes fatentur. Quin Horatius atrocem illi tribuit animum. Nam, *cuncta* inquit, *terrarum subacta, præter atrocem animum Catonis.* Sed hoc, utut laudis materiam aliis, nonnullis tamen reprehensionis argumentum præbet. Seueritatem austeritatemque, si suis circumscribatur limitibus, non culpo. Sed si modum excedat, quis eam laudauerit? Ast audi, quid de Catone Valerius Maximus, atque Florus, memoriæ prodiderint. Fuisse enim, inquiunt,

Ca-

Catonem moribus aliquantum asperum, ac plus quam par erat, & tempora quibus vixit, poscebant, austeriorem. Obseruatum quoque est prudentioribus, nocuisse Catonem reipublicæ, dicendo, tanquam in Platonis Politia, non tanquam in Romuli fæce sententias. Hoccine autem est viri prudentis? Laudo immotum animi robur, laudo constantiam, laudo seueritatem, sed si quis parum pensi habeat, deceatne nunc seuerum esse, an vero sit cedendum, requiratne hoc patriæ salus, ciuium incolumitas, illum omni ista laude, quam parere ejusmodi virtutes solent, indignum censeo. Virtus enim desinit esse virtus, nisi prudentia temperetur. Prudentiæ autẽ hoc præcipuum munus est, ut, quando immoto firmoque

esse animo deceat, quando cedendum sit aliis, quando seueritas, quando comitas induenda nos doceat. Sed est & aliud in hac Catonis austeritate, quod non minorem reprehensionem meretur. Etenim austerus non alio consilio, nisi me omnia fallunt, fuit, quam ut videretur austerus. Atque adeo ex ipsa austeritate gloriolam, vanam utique & perinanem captauit. Rem notam quidem vobis, sed quæ hoc apprime euincat, narrabo. Cum nimiam illam seueritatem ac rigorem in Catone animaduertisset & culpasset Curio, addens, quod in Asiam iter faceret, se gaudere, reuersum enim inde sperabat sedatiorem mansuetioremque futurum, tantum abest, ut monitis amici dederit locum Cato mitioresque induerit mores, ut

po-

postea quoque in conuiuiis amicos se observare jusserit, si forte imprudens, Curionis dicto fidem faceret. Adeo Catonis intererat seuerum atque austerum videri! Potuitne autem turpior gloriæ vanæ consectatio cogitari? Fuisse itaque Catonem ambitiosum virum, & quod majus est, inepte ambitiosum intelligitis abunde. Socrate vero eo inferior fuit, quo callidius ille omnem tegere ambitionem didicerat. Accedebat enim in Catone iracundia, crassioris ambitionis haud infrequens comes. Non pronus quidē aut facilis ad irā erat, sed quod turpius omnino vitium est, semel commotus difficulter poterat placari, & cum incendebatur, ipse sibi temperare non poterat, quin iram conuitiis effunderet. Sane quidem in Scipionem Metellum,

quod uxorem antea ipsi desponsatam, sed post sponsalia diremptа sibi nuptam, duxisset, acerbis probris, uti nostis, compositisque inuehebatur jambis. Quin Murænam, nullis adductus inimicitiis, nulla lacessitus injuria, accusauit: adeoque non odio inimicitiarum ad accusandum eum, sed studio accusandi ad inimicitias cum eo descendit, maledicique conuitiatoris inde prompruit titulum. Ast aliis, inquis, virtutibus hæc vitia pensauit Cato. Sobrietate forte. Testem dabo Horatium: *narratur & prisci Catonis sæpe mero caluisse virtus.* Ast Poëta dixit. Quin dixit & idem Plutarchus, Catonem ita genio suo indulsisse referens, ut totas subinde noctes perpotando absumeret. Ecce igitur egregium philosophum tuum! homi-

minem imprudentem, inepte ambitiosum, injuriosum, conuitiatorem, iracundum, ebriosum. Ast laudauit tamen Catonem Lucanus. Laudauit quidem: sed meminisse te oportebat mi Florine, me, cum antea Aristophanis uterer auctoritate, nihil profecisse ad rei summam, quod Poëta esset. Sed laudarunt, inquis, Catonem & alii. Non abnuo. Ast nec vitia ejus dissimularunt. Quid vero? si quis ipsas illas virtutes quas deprædicarunt alii, virtutis nomine dignas esse inficiaretur? Ecquid enim in eo tantopere mirantur? Nihil magis puto, quam constantiam & firmitudinem animi; quæ maxime tũ eluxit, cum reipublicæ causa libere sæpius sententiam diceret. Recte quidem fecisset, fateor, si ideo fecisset quod

boni

boni ciuis hoc esse munus crederet. Ast vero si impetu potius quam deliberato consilio egit, si genio potius suo & indoli ad austeritatem, & seueritatem procliui, & cedere nesciæ, obtemperauit, quam rectæ rationis præscripto, omnia hæcce quantumuis præclara & egregia nobis videantur, ad splendida virtutum simulacra referre nullus dubito. Nunquam enim à me quis impetrabit, ut aliter sentiam quã hunc demum sapientem esse, qui unice ad rationis præscriptum suas attemperat actiones, & in hoc unice intendit. Quicquid enim splendoris aut bonitatis virtus habet, hoc ex consilio & fine ejus, qui præclari quid patrat, pendet. Jam equidem video, respondebat ad hæc Florinus, qualis Senecæ & Marco Antonino expectanda

sit sententia; dum Catoni ipsi non parcis. Sed lubet tamen audire rationes quibus hoc evincas. Istæ, inquiebam, rationes non procul sunt arcessendæ: quin cuiuis penitius hæc consideranti, sunt obuiæ. Et Senecam quidem præstanti ingenio virum & singulari eruditione fuisse, non nego. Quin ceteros Stoicos fere omnes, si ab Epicteto, & aliis nonnullis discesseris, superasse infinitis parasangis videtur. Placet mihi præcipue istud, quod a virtutum ostentatione, quæ ceteros fere omnes vexauit, qui rigidã & austeram vitæ rationem, præ se ferebant, plane alienus fuisse videatur, adeo ut Lucilium quoque suum adhortetur, ut asperum cultum, & intonsum caput, & negligentiorem barbam, & indictum argento odium, & cubile humi positum, & quicquid a-

aliud ambitiosorum peruersa vita sequitur, deuitaret. Intelligebat enim ceteros omnes qui adeo palam contemnebant opes, voluptates & delicias fugiebant, nihil aliud agere, quam ut ex sorte a fortuna sibi concessa, inopia videlicet & summa, quæ istos homines premebat, indigentia, ambitionis caperent materiam. Nisi forte & hic majori ambitione ceterorum ambitionem reprehenderit, ut Diogeni objectum fuit a Platone. Polypodis enim instar est ambitio, & in varias, quin infinitas, sese vertit formas: Mox sub sordido latet pallio, mox purpura & auro fulgens incedit: si urat pauperem, paupertas ipsa gloriæ suppeditat argumentum: si diuitem vexet, in diuitiis ipsis quærit præsidium. Pauper diuitem mode-

stum

ſtum eſſe negat: diues pauperem ambitioſum vocat: ille ne is videatur qui eſt, paupertatem diuitiis potiorem, dicit: hic, ne latitare ſub ſordido pallio ſuperbia videatur, opes præoptat. Sed quis præſtabit, ſplendido hocce tegumento non ipſam voluptatem & auaritiam tegi & occultari? Profundi enim admodum ſunt vitiorũ receſſus, & paucis explorati. Potuit enim & Senecæ pectori iſta mortalium inſediſſe labes: potuit & ille blandientis fortunæ munere capi. Nec ſapientiæ præceptis innutritum eſſe, illum pœnitere poterat, quippe quæ vitiis tegendis, præclare admodum illi inſeruiebant. Si fortunam aduerſam habuiſſet, ſi cum paupertate confli-ctandum fuiſſet Senecæ, nemo crede mihi opes, nemo aulicas

de-

delicias, magis fuisset execratuturus, nemo; in summa rerum inopia magis fuisset beatus. Jam cum fauentem propitiamque sibi fortunam habuit, scenæ inseruiendum fuit. Hinc præclara hæcce effata: non se sapiens indignum ullis fortuitis muneribus putet: non abigat illa a se, sed abeuntia securus prosequatur, diuitias quidem ubi tutius fortuna deponet, quam ibi, unde sine querela reddentis receptura est? Vide igitur, quam callide suo genio & suis cupiditatibus philosophiam attemperare didicerit, ut in utraque fortuna, præcipue deliciis affluens, sapientis tamen viri retinere posset famam. Ast re ipsa tamen, inquis, vili pendit, honores, diuitias, delicias aulicas. Tacitus ipse hujus rei locuples testis est, qui venis-

nisse ad Neronem Senecam memorat, acceptasque omnes opes magno animo refudisse : jube, inquit, eas per procuratores tuos administrari, in tuam fortunam recipi : nec me in paupertatem ipse detrudam : sed traditis, quorum fulgore præstringor, quod temporis hortorum aut villarum curæ seponitur, in animum reuocabo. Et magnam, fateor, excelsi animi & veræ sapientiæ, dediti, speciem hæcce præ se ferunt: multumque roboris habere videntur, ad refellendos eos qui Senecam ad ostentationem saltem de diuitiarum & honorum contemptu multa locutum esse, cum inter cathedrarios, quos perstringit, philosophos, non ultimum forte ipse mereatur locum, existimant. Nec ego hac eum ornari gloria ægre fe-

fero: quo minus tamen omnem hæc mihi eximant dubitationem, quædam obſtant. Etenim licet ignauis & effœminatis hominibus, res forte ardua & perdifficilis videatur, inter ſummas opes & varia ad voluptatem irritamenta, litare temperantiæ, frugalitatis & continentiæ, ceterarumque quæ cum voluptate pugnant, virtutum laudem mereri: homini tamen mediocri, ne dicam excellenti ingenio prædito, & ſapientiæ famam denique æternam ſibi conciliaturo, hoc quidem adeo non arduum aut difficile puto, ut potius ſit facillimum. Rem altius repetam. Sunt nonnulli homines per naturam procliues ad ambitionem, alii ad voluptatem, ad auaritiam alii: ſed fieri tamen poteſt, ut ſimul ad omnia hæcce vitia ferantur. Quid itaque vetat quo minus dicamus, Senecam

& voluptatum pariter ac opum, simul tamen honorum fuisse cupidum: & ne se mutuo euerterent istæ cupidines, ita forte fuere temperatæ, ut voluptates languide, acrius opes, honores gloriamque acerrime concupisceret. Hinc inter delicias aulicas, sapientiæ gloria stimulatus, frugalitatis & temperantiæ facile consequebatur laudem; opes dimittere graue videbatur, hinc ista diuitiarum defensio: ast gloriæ cupiditas eo usque eum impulit, ut satius tandem duceret fortunarum, quam famæ, jacturam facere. Sed quid opus est ambagibus? Intellexit vir callidus a Nerone, si non æternum famæ suæ inurere dedecus vellet, non se posse fortunis, sibi donatis, iterum spoliari. Facile itaque erat, magnifice de opibus

refundendis facere verba, cu
nunquam id a Nerone permissu
iri, probe sciret. Nihil igitur v
deo, quod virtutem intemerata
Senecæ comprobet atque euir
cat. Voluptatibus, inquis, ind
xit bellum. Indixit: largior. Se
ut indiceret, gloriæ cupido jussi
Opes non curauit, pergis. Qui
curauit, ut etiam defendere
sed ita tamen, ut et hic ambitio
cuncta cederent. Ast libera
fuit: Pisones enim, Senecasq
& Memmios inter exempla d
cantatæ liberalitatis, affert Ma
tialis. Fuit, non inficior, si
beralitas dicenda opum larga
famam sapientiæ tuendam, c
spensatio. Ast auaritiæ antea fu
damnatus. Ita est. Hæc secum n
pugnant. Fuit diuitiarum c
pidus, sed cupidior gloriæ. Hu
ut litaret, vis erat inferenda

ad auaritiam pronitati: hinc illa liberalitas. Aduerſam tamen æque ac ſecundam fortunam æquo tulit animo, nec exilium, nec mors, illum terruit. Nec iſtud nego. Sed ad exilium quod attinet, quo animo iſtud tulerit, neſcio. Ipſe non graue iſtud ſibi fuiſſe fatetur. Credat ergo qui volet. De morte res clara eſt. Sed Socratem cogitate. Nonne Senecæ tanti fuiſſe putatis Socratis exemplum, ut ad eandem conſequendam fortitudinis gloriam, mortis non affici potuerit terrore? Nonne ad majorem ignominiam euitandam, aut ad exquiſitiores cruciatus effugiendos prompte erat moriendum? Quorſum in muliebres ſe ſoluiſſet ejulatus, aut nihil profuturas fudiſſet lacrymas? Quod ergo res ſecundæ non dederint

præ-

præcipitem Senecam, indoli suæ ad ambitionem pronæ debuit, quod nec succubuerit aduersæ; ipsius fortunæ tribuendum benignitati, talia immittentis, quæ facile ferri poterant. Virtus & sapientia, aut parum, aut nihil hic sibi vendicant. Ast scripta Senecæ te objecisse memini. Ea enim sapientiam ejus, & virtutem, satis superque euincere putas. Quin ingenium, doctrinam, dicendi facultatẽ singularem arguunt affatim, quicquid etiam dicant alii. Virtutem hinc minime colligere licet. Proditur animus verbis, non me id fugit. Sed scripta Senecæ accuratius lege. Videbis ipsum Senecam & ambitionem suam, & diuitiarum cupiditatem, & alia vitia, vel invitum prodere. Et ne te istud moueat, quod nulla unquam illi exprobrata sint crimi-

mina, scias velim, ingenio & judicio tanto fuisse Senecam, ut ne in crimina flagitiaque sua erumperent vitia, haud difficulter se cohibere potuerit. Nec tamen ignorabis, adulterii reum eum peractum fuisse. Juliam enim Germanici filiam, in matrimonio Vinicii agentem, eum polluisse constat. Atque hæc illi causa exilii fuit. Non desunt quidem ex ejus propugnatoribus, qui hoc in dubium uocant: sed inficias tamen istud ire non audent, haud obscuro documento, a veritate istud non adeo abhorrere. Ad Marcum demum Aurelium Antoninum, quod attinet, parum abest mi Florine, quin me plane tecum consentientem habeas. Nec falleris, dum tanti me fecisse hunc Imperatorem dicis, ut omnibus eum ad imitandum proposuerim. Nec secus nunc sentirem, nisi for-

te incidissem in aduersaria doctissima doctissimi viri Casparis Barthii, in quibus de Antonino nostro ita censet, ut mendacem & jactabundum hominem fuisse, contendat. Talia eum de se jactitare, inquit, in libris quos de se ipso ad se ipsum scripsit, quæ plane in hominum non sunt posita viribus. Hinc diligentius euoluere & scrutari hasce Antonini commentationes cœpi, & me non posse non Barthii suffragari sententiæ, intellexi. Hoc saltem vobiscum expendatis velim, possitne homo, Numinis quodam singulari munere non adjutus, omnem in cogitando vanitatem, curiositatem, & malitiam declinare, vel, quod perinde est, nulla cogitatione a lege deflectere? possitne, inquam, homo adeo omnem exuere prauitatem, ut cogitationes ejus semper sint simpli-

plices, placidæ, conſentaneæ animali ad ſocietatem nato, ac negligenti eorum quæ ad voluptatē & oblectationem faciunt; vacuo contentionis, inuidiæ, ſuſpicionum, aliorumque, quæ ſi te animo agitaſſe faſſus eſſes, pudore te ſuffundi oportuiſſet. Ego quidem, quoties diuinum diuini viri Moſis effatum, quo prauas omnes mortaliū cogitationes ab ineunte infantia eſſe, diſerte pronuntiat, mecum reputo, toties quin ſecus ſentiā, facere neutiquam poſſum. Et nihiloſecius Antoninus, dum alios nihil quod vanum, quod curioſum, quod malum ſit, cogitare vult, ſe quoque id facere, aut facere poſſe, putat. Præſtitit itaque hoc Antoninus, aut non præſtitit. Illud nemo affirmabit, qui non Pelagii turpi errore ſe imbutum eſſe, hoc ipſo quoque fateri velit. Hoc ſi aſſeras, ſecus do-

cuisse Antoninum quam vixit, palam est. Nec semel talia jactitat: semper & ubique ea inculcat, quæ si vera essent, eum aut hominem nudum fuisse, aut communi ista, quæ omnibus mortalibus adhæret, labe, infectum fuisse, profecto plane mihi persuadere non possem. Ex infinitis documentis unicum adhuc adducam. *Continenter*, inquit *te ipsum admone, nunc in mea est potestate, ut in animo hoc nihil sit malitiæ, nihil cupiditatis, nihil tumultus.* Parum est arroganti homini se omnium quæ in hominem unquã cadere possunt, vitiorum immunem profiteri, licet eum mentitum esse, nullus dubitem, ne quid arrogantiæ desit, addit: *hoc in sua esse potestate.* Nimirum & hic Stoicorum se prodit, furor dicam, an arrogantia, asserentium, fortunæ bona a Numine impetranda,

da, virtutem & æquitatem, ceteraque animi bona, a viribus ac facultatibus cujusque ſumenda. Cicero ipſe hac de re verba faciens, ullum mortalium, quod bonus vir eſſet, gratias Deo egiſſe unquam, negat: Jouemque maximum, inquit, ob eas res appellant, non quod nos juſtos, temperantes, ſapientes, efficiat, ſed quod ſaluos, incolumes, opulentos, copioſos: neque Herculi quiſquam decumam vouit unquam, ſi ſapiens factus eſſet. Seneca quoque tuus, mi Florine, ne magis pium eum credas, idem docet. Stultum eſt inquit, optare bonam mentem, cum poſſis a te impetrare. Et hoſce quidẽ homines tu arrogãtes fuiſſe negas! Antoninus vero cum gloriæ cupiditatem ubique execretur, ſuas tamen putide & inepte ipſe decantare laudes, non erubeſcit. Hoccine itaque

eſt facere illa, quæ docemus? Itane cum doctrina conueniunt mores? Sed quorſum me abripit veritatis amor. Namque ad tuas, quibus eum huncce ſapientiæ & virtutis gradum, quem plerique illi vendicant, promereri, probas, rationes, ut nunc quicquam regeram, ſuperuacaneum duco. Laudari enim paſſim ab aliis ſcriptoribus Antoninum, quid mirum? Namque poteſt quis Hiſtoricorum facile promereri laudem, modo non peſſimus ſit, & virtuti palam indixiſſe bellum videatur. Nobis vero illud demonſtraſſe ſufficit, quod aliter vixerit, quam docuit: utut ceteroquin non negauerim, magnæ & excelſæ virtutis ſpeciem, ſemper huncce virum præ ſe tuliſſe, quæ imponere facile mortalibus, & Hiſtoriarum conditoribus inuidendas exprime-

miere laudes potuit. Julio vero Capitolino, præcipuo rerum ab Antonino gestarum & principi scriptori, adeo infrequens non est, aperte quoque falsa tradere. Namque in celebri ista contra Marcomannos expeditione, Antoninum precibus suis Numini extorsisse pluuiam, dicit. Quis vero falsum hocce esse ignorat? Fulminatricis enim legionis, Christianorum sacris initiatæ, non Antonini precibus Numen pluuiam dedit. Sed qui crassiori saltem Minerua hanc Capitolini Historiam perlustrauerit, statim deprehendet, eum amori in Antoninum ubique indulgere. Sed idem Julius tamen, dissimulare non potuit, mitius ab Antonino habitam fuisse uxorem, grauissimis vitiis coopertam, & ad adulteriũ quoque ejus conniuisse. Vis rationem? hæc erat: *si uxo-*

rem dimittimus, reddamus & dotem. En! imperandi libidinem. Eundem ſæpius quoque a populo reprehenſum eſſe, & reipublicæ parum conſuluiſſe conſtat, dũ permiſit, ut multi, teſte Capitolino, ſub philoſophorum ſpecie, eandem vexarent. Sed hæc & alia lubens prætermitto, ne nodũ quod ajunt, in ſcirpo, quærere videar. Habes itaque Florine, quid de philoſophis tuis, quos tu ut ſummos & omnium vitiorum expertes, adoras, cenſeam. Non aliam, inquiebat ad hæc Florinus, a te expectabam ſententiam: ſed nec expectare poteram. Cum enim nec Socratē illis annumerare dubites, qui aliter docent, aliter viuunt, quid de ceteris poterat ſperari? Fore tamen credo, qui cauſā horum philoſophorum agant, ne impune ſummos iſtos viros laceſſiuiſſe vi-

videaris. Sane, si nec Socrates, nec Seneca, nec Cato, nec Antoninus, multo minus Plato & Aristoteles, veri tibi philosophi siue sapientes videntur, ubinam itaque terrarum philosophos quærere licet? Namque recentiora secula protulisse viros, qui cum hisce sapientiæ Antistitibus conferri possint, vix mihi persuadeo. Ante Socratem vero multo minus quisquam vixit, qui hoc nomine dignus sit, cum in naturalium rerum contemplatione transegerint ætatem, de formandis autem fingendisque moribus, si Pythagoram demas, parum fuerint solliciti. Quid vero? Num forte Indornm Brachmanes, aut Gallorum Druidæ, aut Persarum Magi, aut quocunque demum nomine veniunt Barbararum gentium philosophi, hoc nomine digni tibi

bi

bi videnrur ? Namque si ne hoc quidem tibi placeat, nihil aliud superest, quam ut neges, verum unquam philosophum in ulla vixisse gente. Sed eo usque audaciæ te progressurum, non existimo. Et si progrederer eo usque audaciæ, mi Florine, (ita respondebam) rem tamen in me susciperem probatu non adeo difficilem. Namque ut Brachmanes tui, aut Magi, aut Druidæ, hasce mihi extorqueant laudes quas denegaui Socrati, non est quod speres. Recentiores multo minus hoc a me obtinebunt, sicut nec illi, qui ante Socratem literarum & philosophiæ sacris operati sunt. Nec te, Florine, meæ refragaturum sententiæ, arbitror, modo meas recte perceperis rationes. Sapientiam siue philosophiam, qui diuinarum humanarumque rerum cogni-

gnitionem dixerunt, aliquid dixerunt: an majestatem sapientiæ assecuti sint, dubito. Ego ita arbitror, hunc demum sapientis nomine dignum esse, qui non tantum ea omnia mente & cognitione sua complectitur, quæ intelligi & cognosci ab homine possunt, sed & præcipue, qui ad rationis præscriptum, mores suos tam accurate componit, ut nec dicta nec facta, multo minus cogitata, ab illo discedant unquam. Ita & Stoici suum disinierunt sapientem, a quo distinctum esse voluerunt philosophum, sed perperam, ut ego opinor. Licet enim Pythagoras, quæ hujus viri fuit modestia, recusato sapientis nomine, ut superbo & arrogantiæ pleno, philosophi insigniri voluerit titulo: obtinuit tamen semper, ut philosophorum venirent nomine, qui ante Pyhtagoram

sapientes appellitati sunt. Jam vero quod Stoici de suo sapiente dixerunt, eum nusquam gentiũ terrarumue esse, neque fuisse, quid vetat, quo minus de philosopho sed vero & omnibus, quod dicunt, numeris absoluto, dicamus. Etenim quis unquam mortalium, ad rectæ rationis legem, omnes suas actiones ita attemperauit, ut nunquam ab hoc deflexerit tramite? aut quis hoc facere potest? Vel unicum si protuleris exemplum, Florine, & victas dabo manus. Jam porro ex Stoicorum tibi constat disciplina, sapientem, quem & nos philosophum vocamus, alium τέλειοι esse, siue consummatum, alium προκόπτοντα, siue proficientẽ: proficientiũ vero varia sunt genera, prout aut procul ab ista consummati philosophi imagine, quis recedit, aut accedit ad eã propius. De Socrate ve-

vero ipso, Zenone, Cleãthe, Chrysippo, sectæ suæ Principibus, ita sentiebant, ut eos neutiquam inter consummatos, sed inter προκόπτοντας siue proficientes, referrent. Namque & illos multis vitiis commaculatos conspersosque fuisse, tantum abest ut omnia exuerint, perlibenter agnoscebant prudentiores. Hoc Stoici & vere & sapienter. Quanto magis itaque nos sanctiori quadam & divina disciplina imbutos, & hinc humanæ naturæ infirmitatem, perpetuoque illi adhærentem originis labem, edoctos decebat, illud itidem asserere, naturæ viribus ad perfectam istam consummatamque sapientiam & virtutem, peruenire neminem posse. Omnes itaque philosophos, quotquot unquam fuerunt, inter προκόπτοντας siue proficientes refero: nec tamen

cui-

cuiquam hoc ipso facio injuriam. Illud tamen inter eos intercedit discriminis, ut propius alii, alii magis procul a virtutis perfectæ imagine, absint. Nihilosecius tamen omnes qui sapientiã docent, ita illam docent, ut ad ejus leges omnes mores & actiones hominum accurate componi velint. Hoc vero dum ita ut par est, nemo illorum facit, omnes quidem in illorum classem, quorum cum doctrina non consentiunt mores, referre nullus dubito. Hic tamen rursus illos, ad quorũ doctrinam quam proxime accedunt mores, aut qui annituntur viribus omnibus, ut componant mores suos ad rationis leges, minime culpandos aut reprehendendos censeo. Contra vero qui magnifice de virtute verba faciunt, ipsi autem nunquam in animum inducunt vitia sua

exue-

exuere, aut rationis præscripto obsequi: hi quidem illi sunt philosopha sententia & ignaua opera homines, quos merito an[illegible] sum execratus. Pessimi, vero omn[illegible] sunt, qui ad summum virtutis fastigium se peruenisse, sibi persuadent, saltem prope ab eo se abesse, & hinc nihil aliud agunt, quam ut aliorum vitia facunde acc[illegible]sent, intercutibus, ut Gellii verbis sæpe laudatis, utar, vitiis ipsi madentes. Etenim hosce homines ambitione vexari palam est; ambitionis autem vitio, nullum grauius, nullum periculosius, nullum magis immedicabile esse, illi sciunt, qui vel primis quod ajunt labiis, hæc sacra attigerunt. Tam varias enim assumit formas quod & antea jam indicaui, ut agnoscatur quam difficillime, longe difficilius [illegible] patiatur medelam sibi afferri. Quæ ergo de Socrate, Seneca, Catone, & Marco Aurelio, aliisque philosophis disputaui, a vobis ita capi velim: omnes hosce viros ingenii & eruditionis laude florentissimos, non tamen virtutis & sapientiæ consummatæ fuisse contendo: & id inde euinco, quod vitiorum non plane fuerint immunes. Largietur hoc, quicunque est sanæ mentis. Posidonius Stoicus Socratem magnos progressus fecisse, nec longe a vertice constitisse dicit: in perfectæ virtutis abiisse exemplum, asserere

non

non audet. Omnes ergo fuere saltem προκόπτοντες. Ad quam vero τῶν προκόπτόντων pertinuerint classem, ipsimet judicate. Sane omni opera eos allaborasse ut consentirent cum doctrina mores, non negauero: sed annon ambitio nimia quandoque illos vexauerit, æquus existimator harum rerum, facile videbit. Nihil de gloria horum virorum detractum cupio: nec tamen vitia illorũ laudare potui: sufficit me euicisse, & illos non fuisse tales, ut cum doctrina undiquaque conspirauerit vita: hoc enim mihi demonstrandum sumpseram. Si ita rem definias, inquiebat Florinus, non me tantum, sed cordatos quosuis facile tibi suffragantes habebis. Modo hosce, regestam, habeam, ceteros enim non curo. Recte quidem, istud facis, inquiebat Seuerus: sed ut finem imponamus sermoni tempus monet, quod me, credo & te, ad alia vocat. Quin & me, addebat Florinus, utut inuitum. Mihi vero, ad hæc regerebam, nihil optatius est, quam ejusmodi uobiscum miscere sermones: sed cum eos abrumpere vestra negotia grauissima jubeant, ingratissimus mortalium essem, si detinere vos ultra vellem. Interim propediem me utrumque vestrum hic denuo visurum spero, ut jucundioribus ejusmodi colloquiis, reficere fessam grauioribus curis mentem queamus.

FINIS.